DISSERTATIONES

IN RES

HUNGARIAE VETERIS

HISTORICO-CRITICAE

SCRIPSIT

GEORGIUS FEJÉR

BIBLIOTHECARIUS

BUDAE

TYPIS TYPOGR. REG. SCIENT. UNIVERSITATIS HUNGAR.

1837.

Qui diversa sentiunt, diem non nobis, sed iis, a quibus omnis haec narratio petita est, dicant." *Steph. Katona Praef. in Vngariam Ladislai Turoczii.*

Ad Lectorem.

Gentium quidem singularum origines, eventusque primaevi, densa obducti caligine, solertem Eruditorum desiderant disquisitionem; ast ea, quae Nationis Hungarae sunt, Scriptorum synchronorum defectu ac sterilitate, cumque solennes Regum nostrorum et aliorum literae ex archivorum tenebris parce duntaxat ac pedetentim emergant, exposcunt quoque.

Utut hoc in merito Georgius Pray, Stephanus Katona, Daniel Cornides, immortale sint in republica literaria nomen consecuti; quia tamen, omni sua contentione, nec fontes singulos attingere, nec omnia tabularia penetrare poterant: campum merendi successoribus suis reliquerunt amplissimum.

Nescio tamen quo fato, provincia haec occupata hucdum est a nemine. Nationibus cunctis cultioribus, vestigatis suorum incunabulis, explicitis fortunis, ad cognitionum Historicarum fastigium eluctatis, per nostrates a trium virorum epocha nullus propemodum hoc in argumento factus progressus; quaestionibus certe plurimis locus relictus.

Propterea, quod in alienam — juxta Ration. Educ. Tom. I. p. 310. — messem falcem immittere, in agrumque Historicum divertere praesumserim; posteritas, quam unice praemefero, crimini, spero, dabit minimo: nec enim viam laborum aliis obstruo, sed studiorum meorum periclitatione protero.

Disquisitionis meae praesentis tria sunt capita:

I. Num Philisthaei, Gergesaei, Cananaei, et Amorrhaei, Hungarorum, Chunorum, Jasonumque nostratium aborigines?

II. De ortu et instauratione Nitriensis Episcopatus.

III. An sanctus rex Ladislaus Varadinensis Epicopatus conditor?

Materiam sententiae in medium productae suggesserant. Num in illa disquirenda quodam veritatis commodo simus versati, aequo Lectorum judicio discernendum relinquo. Hanc veniam damus, petimusque vicissim.

Pestini 20. Decembris 1836.

Auctor.

I.

Num Philisthaei, Gergesaei, Cananaei et Amorrhaei Hungarorum, Chunorum, Jasonumque nostratium aborigines?

§. 1.

Gentium singularum, Hebraeam si excipias, origines densissimae occulunt tenebrae; primordia mythicae fabulae contaminant: nulli earum, quantum novimus, licuit aboriginum incunabula certo fixisse loco, monumentorum defectu. Diodorus Siculus, populorum initia dissertissime complexus, fateri non dubitavit: „Qui primi fuerint reges, non est, quod vel ipsi asseramus, vel aliis, scire se profitentibus, assentiamur. Fieri enim non potest, ut inventio literarum in eandem cum iis aetatem inciderit. Quod etsi quis concesserit, Historicorum tamen genus recenter admodum vitae communi exortum esse, apparet. Ideo de cujusque nationis antiquitate non modo Graeci, sed et Barbarorum plerique ambigunt, qui indigenas se esse, et omnium hominum primos vitae commoditates invenisse, et res apud se actas, a plurimis inde seculis literarum monumenta meruisse, jactitant. Nos equidem de antiquitate singulorum, quaeque nationes aliis tempore et quanto annorum numero sint priores, certi aliquid non definiemus.“ Lib. I. c. 9. Item: „Rerum me-

DISSERTATIONES

IN RES

HUNGARIAE VETERIS

HISTORICO-CRITICAE

SCRIPSIT

GEORGIUS FEJÉR

BIBLIOTHECARIUS

BUDAE

TYPIS TYPOGR. REG. SCIENT. UNIVERSITATIS HUNGAR.

1837.

norum gente, quam muneribus sibi totam adjunxerat, terram universam, Asiam maxime, percurrit et omnes, ut tributa sibi penderent, vi coëgit. Sublatis etiam ubique nationum principibus et satrapis sub jugum suae potestatis redegit. Vnnis autem Assyriorum regionem dono dedit, et pro Vnnis sive Scythis Parthos appellavit.“ Manasses Constantinus Breviarii sui editi Parisiis 1655. fol. p. 12. Consentit etiam compendium historicum. Parisiis 1647. fol. p. 42.“ Ita idem Auctor p. 119.

§. 7. Septem gentes Philistaeas fuisse Parthos ita conficit: „Capitalis manifestusque locus, inquit, Deuteronomii agens de Philisthaeis est capite VII. V. 1.: Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram; quam possessurus ingrederis et dederit gentes multas coram te: 1.) Hethaeum; 2.) Gergesaeum, 3.) et Amorrhaeum; 4.) Cananaeum; 5.) Pheresaeum; 6.) Hetaeum et 7.) Jebusaeum“; l. c. p. 122—3. Sunt hae gentes Partho-Sythicae: nam Philisthaei feruntur in sacro codice ex Caphtor egressi; haec vero regio est certe Cappadocia, alio nomine Syria et Assyria. Quod confirmat id: Philisthaeos gentes dici boreales; Parthi autem ex oris aquilonaribus venerunt in Cappadociam“ p. 124. Adventus hic contigerat ante tempora Abrahami: nam uxorem, quam alteram duxit, Ceturam constat fuisse Parthicam; Parthos proin oportuit ante Abrahamum jam extitisse“ p. 124.

§. 8. Gentes hae septem Philisthaeae, origine Partho-Scythicae, a Josue, filio Nave, Palaestina exacti, pars una, signanter Magyari, Arabiam

et Aegyptum, pars altera, praecipue Μεζοκαδιοι, Africam petentes, Mauretaniam obsederant, et columnas usque Herculeas impopularunt, urbem Cadix condiderunt; quod et columnae Tingisitanae atque gentes in Africa hodiedum superstites contestantur. Pars eorum Cappadociam repetiit, et Israëlitarum genti jugiter incubuit. Sic Philisthaei-Partho-Scythae per Aegyptum, Arabiam, Nubiam, Africam omnem, Hispaniam, Angliam, Daniam, Sueciam, Russiam, superiores Germaniae provincias, Saxoniam, Thuringiam, Marcomaniam etc. per Cappadociam, Ciliciam, Joniam, Armeniam, Georgiam, Turciam, Cretam, Rhodum, Graeciam, Illyricum, Dalmatiam, Italiam, Pannoniam, verbo: per Africam, Asiam, Europam disseminati, culturae civilis jecerant fundamenta. — Saltus ipsi Graeci sunt: Parthici: Anapestus Partheniacus; vel Jassius, Jonicus a minore; vel Placius seu Phalaccius; creberrime Hungaricus: Choraeus" p. 15. 16. 6. 25.

§. 9. „Haec proin antiquitatis, celebritatisquè Hungaricae delineatio ad illustrandas totius orbis historias, ad auctores classicos intelligendos, quin et ipsam sacrorum codicum exegesim perficiendam, conferet plurimum; ad multas quaestiones historicas de Placiis vel Paluciis etc. solvendas subserviet; respondebitque votis archivi, quod vetustati Germanicae eruderandae destinatum est: v. Büchler und Dünge. Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde I. Bd. 1. Heft. Frankfurt, 1819. p. 16. Hoc testamentum minus esto; explendum uberius, dum sudsidia confluxerint ampliora; a benignissima Regni Palatini liberalitate prosperanda." Ita Auctor p. 6. 128.

§. 10. Lineamentis Stephani Horvatii in minusculo exhibitis, antequam disquisitionis filum texamus, artis historiae scribendae praecepta sunt nobis attingenda. Summa eorum capita M. Tullius Cicero libro secundo de oratore sequentibus delibavit: „Quis nescit, inquit, primam esse Historiae legem, nequid falsi dicere audeat, deinde nequid veri non audeat? Ne qua suspicio gratiae sit in scribenda, ne qua simultatis? Haec scilicet fundamenta nota sunt omnibus. Ipsa autem exaedificatio posita est in rebus et verbis. Rerum ratio ordinem temporum desiderat ac regionum descriptionem etc. Alteram Anna Comnena, quae patris sui Alexii res gestas composuit, in prooemio Alexiados edixit: „Si quis Historiam, prout convenit, scribere suscipiat, hunc et amore et odio vacare oportet; — saepe etiam vitae necessitudine conjunctos vituperabit, si vitae delicta hoc ostendent.“ Fusius omnino Polybius: „Sane quidem in ceteris vitae partibus — par est, ut vir bonus et amicorum et patriae sit amans; verum vbi Historici personam aliquis suscepit, horum omnium illi obliviscendum: nam vt animal luminibus ademtis prorsus inutile redditur; ita, si veritatem ex Historia tollas, quae superest illius narratio, est nullius usus.“ Tertiam a personis atque actione, circumstantias rei gestae, quae duae sunt: tempus et locus, negligendas haud esse; commonuit in oratione: „Apud quos confusa et dissoluta est temporum et locorum ratio, illis nec Historiae veritas constare potest.“ Cf. etiam Eustathium commentario in Dionysium Periergetem.

§. 11. Historia laude magis eorum, qui vivunt, et gloria, quam posteritatis scripta, cul-

panda est maxime: Pulchra hac de re imprimis est illa Luciani admonitio: „In universum illud memineris (saepius autem idem dico) ne ad praesens solum tempus respiciens scribas, ut ii, qui nunc sunt, te laudent, honoribus afficiant; sed in omne aevum intentus, illis potius, qui in posterum victuri sunt, Historiam componas, atque ab illis mercedem scriptionis deposcas; ut dicatur et de te aliquando: Ille vero vir liber fuit, et ad dicendum fiducia plenus; nihil hic neque adulatorium, neque servile; sed veritas in omnibus servatur. Atque hoc siquis modeste sapiat, ante omnes praesentium spes merito ponat, quae breves adeo atque momentaneae sunt.“ — „Oportet igitur et Historiam eodem modo componi, cum veritate magis ad futuram spem, quam cum adulatione ad gratiam et dulcedinem iis, qui eam nunc in praesentia laudent. Atque haec tibi regula et amussis Historiae justae. Qua quidem siqui examinando, ac perpendendo utuntur, bene res habet, et commodum haec a nobis scripta sunt; sin minus, volutatum est in cranio dolium.“ Diodorus vero Siculus lib. XIII. p. 380. edit. Bip. inquit: „Qui data opera exactam inquisitionem negligunt, hos merito accusandos arbitror, quando nimirum nonnullis adulando, vel per odium alios impugnando, a veritate aberraverint.“

§. 12. His consentanee veritatis solius studio ad disquirendos vetustissimos Magyarorum, Chunorum et Jasonum nostratium eventus, a Stephano Horvatio compositos: 1.) Cananaei et Canaaea; 2.) Philisthaei et Philisthaea; 3.) Pelasgi et Pelasgia; 4.) Parthi et Parthia; 5.) Ipsa Historio-

sophia; 6.) Etymologisatio Auctoris est nobis in examen revocanda.

I. Cananaei et Cananaea.

§. 13. Asia, qua secundum maris mediterranei oras austrum versus exporrigitur, orbis divisione Chamitis, parte potiori Canaan filiis, obtigit; quos Genesis auctor 10, 17—18. recenset: „Hae sunt generationes filiorum Noë: Sem, Cham et Japhet. — Filii Cham: Chus et Mezraim, et Phuth et Canaan, — Canaan autem genuit Sidonem primogenitum suum, Hethaeum et Jebusaeum, et Amorrheum, Gergesaeum, Hewaeum et Arcaeum, Sinaeum, Arradium et Samareum, et Amathaeum; et post haec disseminati sunt populi Cananaeorum.“ De his perhibet Josephus Flavius antiquitatum Judaicarum lib. I. cap. VII. „Camae vero filii Syriam et regionem Amano, Libanoque montibus haerentem obtinuerunt; quidquid ejus ad mare vergit occupando, et Oceanum usque ditionis terminos proferendo.“ Terrae ab incolis Cananaeis nomen Canaan inhaesit. Gen. 12, 5. sq. Cf. 7, 10. 13, 15. 15, 18. 17, 8. Exodi. 15, 15. etc.

§. 14. Regio haec sacris codicibus descripta diserte est: Limites primaevi: „Factique sunt termini Canaan venientibus a Sidone Geraram usque Gazam, donec progrediaris Sodomam et Gomorham et Adamam et Seboim usque Lesam.“ Gen. 10, 19. Montosa, ad mare mediterraneum proclivis. Juga Antilibani, ad boream siti, complures emittunt radios: ad ortum montem Hermon et Seir; ad austrum ramus Hermon, Gilboa et Abarim, cujus

partes orientem versus Pisga, Nebod et Gilead; ad occasum Naphtali et Carmelus etc. Vberrimis vallibus interceptis. Fluvius praecipuus Jordan ad orientem, qui pluribus paludibus formatis, lacui Asphaltitis mergitur. Torrentes: Jarmuch seu Hieromae, Jabok vel Jabbok, Leontes, Pischon et Cedron. Tellus frugum, vini et olivarum ferax. Cf. Exodi 3, 8. Deu. 3, 25. Nehem. 9, 25. Jerem. 3, 19. etc. Plinii Hist. nat. V. 6. Ammiani Marcellini 14, 8.

§. 15. **Tribus Arcaeorum, Arradaeorum, Sidoniorum, Sinyorum, Hamathaeorum et Samaraeorum**, sedibus avitis desertis, aquilonem magis petentes, a fluvio Eleuthero usque montis Libani promontorium, Theoprosopon dictum, cum vetustissimis provinciae incolis, qui Rabbatithae, Colpites ac Climaces fuerant, coluerant; eodem Josepho Flavio teste: „Sidonius vrbem sibi cognominem condidit in Phoenice, Sidonem a Graecis vocatam, Amathaeus vero Amathen habitavit, quae adhuc exstat; et ab incolis Amathe vocitatur, tametsi hanc Macedones Epiphaniam ab uno e regum successoribus denominaverunt. Arrades Arradum insulam obtinuit. Arucaeus Arcenin urbem in Libano sitam.“ l. c. Regioni huic ob palmarum arbores, quibus abundavit, Graeci Phoenice (Φοινικη) nomen indiderant; quod in Cananaeam, quin et universa Syriae maritima, temporum lapsu transiit. Consentit Justinus, Trogi Pompeji exscriptor: „Phoenices terrarum motu vexati, relicto patriae solo, Assyrium stagnum primo, mox mari proximum litus incoluerunt; condita ibi urbe, quam a piscium ubertate Sidona (Graeci) appellaverunt.“ LXIV. 3. Procopius de bello Van-

dalico cap. X.: „Tunc temporis (Jesu, filio Nave ducatum gerente) maritima omnis regio a Sidone ad Aegypti fines, Phoenice dicebatur.“ Stephanus vero Bizantinus (v. 701) χνα ὀυτως ἡ φοινικὴ εκαλειτο). Cf. Deut. 3, 21. II. Reg. 11. IV. reg. 19, 13. I. Paral. 31. Ezech. 27, 8. 11. Polyb. V. 71. Strabo XVI. 2. 12. Diodorus Siculus XIV. 22. Mela I. 2. II. 7. Plinius V. 19. Item Hieronymus in Genesim.

§. 16. Secessionem hanc oportuit vetustissimis accidisse temporibus: nam Phoenice amplius terrae Canaan Gen. 10, 19. aceensa haud fuit; Abrahamo ex Vr Chaldaeorum in terram Canaan circa annum 2200 ante Christum vocato, urbs Sidon jam inclaruerat: Cf. Herod. II. 116. III. 136. Scilacem in Hudsonii Geographis minoribus I. 41. 42. — Syriaeque maritima cananaeus possedit: „Egressus itaque Abram, sicut praeceperat ei Dominus, ivit in terram Canaan; cumque venisset in eam, pertransivit eam usque ad locum Sichem, usque ad convallem illustrem (LXX. JJ. Quercum excelsam); Cananaeus tunc erat in terra.“ Gen. 12, 4—6. Prius tabernaculum fixerat Abram inter Bethel et Hai, „eo tempore Chananaeus et Pheresaeus habitabat in terra illa.“ Ibid. 13, 3. 7. Res illi plurimae cum Hetthaeis (Chittim χετταιοι) Gen. 23. — Terram Canaan Deus Abrahamo, hujusque posteris, in praemium obedientiae ac fidei addixerat: „Leva oculos tuos et vide: omnem terram quam conspicis, tibi dabo et semini tuo in sempiternum. — In die illo pepigit Dominus foedus cum Abram, dicens: Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Aegypti usque ad fluvium magnum Euphratem; Cinaeos et Cenezaeos, Cedmonaeos, et

Hethaeos, et Pheresaeos, Raphaim quoque, et Amorrhaeos, et Cananaeos, et Gergesaeos et Jebusaeos." Gen. 12, 14. 15, 18—21.

§. 17. Incoluerant terram hanc:

1.) Cinaei (Χιναιοι LXX. JJ.) parte, qua orientem australem versus procurrit, Moabitis vicini; Salmaei etiam dicti Chaldaeo. Cf. Num. 24, 21. Jud. 1, 16. 4, 11. 17 etc.

2.) Cenezaei (Κενεξαιοι) sub montibus Hermon ad austrum Philistaeis vicini, a Kenez vel Cenez Duce Idumaeo, ut videtur, orti. Cf. Gen. 36, 15. 42. Num. 32, 1. Jos. 14, 6. 14. I. Paral. 1, 36.

3.) Cedmonaei (Καδμοναιοι) ad radices montis Hermon, qua orientem respicit, in terra Maspha; alias Hevaei (Chivaei), uti hoc Chaldaeus. Gen. 10, 17. Exod. 3, 8. 17, 2. 34, 2. Josue 11, 3. Coloniae ipsorum fuerant Sichemitae Gen. 34. 2. et Gabaonitae Jos. 11, 19. Cf. Jud. 9, 7.

4.) Hethaei (Χετταιοι) ad Hebronem usque Barsabam aeuo Abrahami. Gen. 25, 9 sq. 26, 23. Cf. 34, 27. 46.

5.) Pheresaei: inter Bethel et Hai. Gen. 13, 1—7. Habitabant vicatim Chitaeis vicini; inde nomen.

6.) Raphaim (Rephaim), iidem, qui et Enacim? in regione Hebron ad meridiem, in Astarothcarnaim. Gen. 14, 5. In Sesdios (Zuzim) Thalmaeos et Ahimanios, Emin, divisi: Gen. 14, 5. Num. 13, 19. Deu. 2, 10. 11. Jos. 11, 21 sq. Cf. 15, 14. Jud. 1, 20 etc.

7.) Amorrhaei: pars in Hebron, Engaddi ac Sichem, in Asason Thamar; pars trans Jordanem, in Gilead, supra fluvium Arnon; Amalecitis

ac Raphaim vicini degebant. Gen. 14, 5. 48, 22. Exod. 3, 8. 17 etc. Num. 32, 29.

8.) Cananaei in specie: juxta mare mortuum, ac fluenta Jordanis in Gazer: Jos. 16, 10. Num. 13, 30. Jos. 11, 3. Urbs fuit Cana Major et Minor.

9.) Jebusaei: in montanis Jebus, mox Jerusalem dictis: Hetthaeorum vicini. Num. 13, 30. Jos. 11. 3.

10.) Gergesaei; tribus minime cognita; confines fuerant Jebusaeorum, Hevaeorum et Amorrhaeorum ab austrum. Deu. 7, 1. Jos. 3, 10. 24, 11. I. Par. 1, 13. Esd. 9, 8.

§. 18. Horum Cinaei quidem monadicam egerant vitam; Cenezaei sub montibus, Raphaim vero in antris degebant juxta Michaëlis Syntagma; septem reliquae Cananaeae stirpes numerosae admodum, terrae culturae dediti, urbes munitas inhabitaverunt suis sub regibus: „Hetthaei et Gergesei, Amorrhaei, Cananaei et Pheresaei, et Hevaei, et Jebusaei, septem gentes multo majoris numeri quam tu es; et robustiores te (popule Israël); ast Dominus Deus consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes, — dabitque reges eorum in manus tuas.“ Deu. 7, 1. 22. 24. „Deditque eis terram, in qua non laborarunt, et vrbes, quas non aedificarunt, vt habitarent in eis, et vineas et oleas, quas non plantaverunt.“ Jos. 24, 13. Cf. Jos. XIII—XIX. XXXII. 9. sqq. Vide etiam Jahn Archaeologiae Tom. I. p. 186. nro 3 et 4 etc.

§. 19. Moysi, qui populum Israël, transacta 430. annorum servitute, ex Aegypto in terram

Promissionis eduxerat, circa an. a. Chr. 1491. altissimo Dei consilio, neutiquam fuerat concessum, gentes has singulas Israëliticae subdere ditioni, aut exstirpare; particulam duntaxat, quae a ripa Arnonis Jordanis usque fluvium montemque Hermon patet, Galaad dictam, Raphaim, Amorrhaeumque regna, expugnaverat, atque tribubus Ruben, Gad et dimidiae Manasse divisit: „Possedit terram Galaad usque torrentem Arnon, mediumque torrentis et confinium usque ad torrentem Jeboe, qui est terminus filiorum Ammon, et planitiem solitudinis, atque Jordanem, et terminos Cenesereth usque ad mare deserti, quod est salsissimum ad radices montis Phasga contra orientem.“ Deu. 3, 12—17. Cf. Jos. 13, 16—21. Reliquas terrae Cananaeae partes Josue arduo annorum septem (1451 —1444 a. Ch.) labore subegit, ac ceteris Israëlitarum tribubus assignavit: „Vos cernitis, inquit, omnia, quae fecit Dominus Deus vester cunctis per circumitum nationibus; quomodo pro vobis pugnaverit; et nunc (in hebraeo: considerate) quia vobis sorte divisit omnem terram ab orientali parte Jordanis ad mare magnum.“ Jos. 23, 4. — Terra haec ad austrum torrente Arnon, a capite maris mortui usque ad rivum Aegypti (Rhinoculura), ad ortum deserto Arabico, versus Euphratem, demta regione Damascena; ad septemtrionem monte Libano, ad occasum mari mediterraneo circumscripta, intra longitudinis 52-55, latitudinis 31-33½ gradus diffusa, nomen proprietatis Jehovae Leu. 25, 23. Oseae 9, 23. Terrae sacrae Zach. 2, 16. II. Macc. 1, 7. Terrae Israël I. Reg. 15, 19. Ezech. 7, 2. a novis incolis sumsit.

§. 20. Nec Josue potuit omnes gentes Cananaeae incolas expugnare, multo minus eliminare:

Ipsiusmet verba sunt: „Multas, quae supersunt, nationes, Dominus Deus disperdet a facie vestra, et possidebitis terram, sicut pollicitus est.“ Jos. 23, 5. Quas subjugare nequivit, recensentur Jos. 13, 1. sqq.: „Josue senuit et venit in dies (juxta hebr.) et dixit Dominus ad eum: Senuisti et longaevus es; terra latissima derelicta est, quae necdum sorte divisa (quia necdum expugnata) est; omnis Galilaea Philistim (Hebr. Omnes Geliloth; LXX. et Chaldaeus JJ. omnes fines Philistiim) et universa Gessuri, a fluvio turbido, qui irrigat Aegyptum, usque ad terminos Accaron contra Aquilonem; terra Canaan (hebr. in Cananaeum) quae in quinque regulos Philisthiim dividitur: Gazzaeos, Azotios, Ascalonitas, Gethaeos et Accaronitas. Ad meridiem vero sunt Hetthaei, omnis terra Canaan et Maira Sidoniorum usque Apheca et terminos Amorrhaei, ejusque confinia, Libani quoque regio contra Orientem a Baalgaad sub monte Hermon, donec ingrediaris Emath. Omnium, qui habitant a monte Libano usque ad aquas Mexcopoth, universique Sydonii.“ Cf. Judicum cap. I.

§. 21. Constat etiam singillatim gentes Cananaeas a Josue, seu a Judicibus, non omnino fuisse exterminatas aut excisas; sed alias tributo subjectas, alias vero loco nonnisi submotas: 1.) de Cananaeis legere est: „Et non interfecerunt filii Ephraim Cananaeum, qui habitabat in Gazer; habitavitque Cananaeus in Ephraim usque ad diem hanc tributarius.“ Jos. 16, 10. „Nec potuerunt filii Manasse civitates (in terra Taphuae) subvertere; sed coepit Cananaeus habitare in terra illa. Postquam autem convaluerunt filii Israël, subjecerunt Cananaeos et feceruut tributarios sibi, nec

interfecerunt eos.“ Jos. 17, 12. 13. Occurruntque reliquiae ipsorum in novo etiam testamento: Matth. 15, 22. Mar. 7, 26. — 2.) Pheresaei: „Ad filios Joseph ait Josue: Si populus multus es: ascende in silvam et succide tibi spacia in terra Pherezaei et Raphaim; quia angusta est tibi possessio montis Ephraim. Cui responderunt filii Joseph: Non potuimus ad montana ascendere; cum ferreis curribus utuntur Cananaei, qui habitant in terra campestri, in qua sitae sunt Betsan cum viculis suis, et Jezraël mediam possidens vallem.“ Jos. 17, 15—15. „Ascenditque Judas, et tradidit Dominus Cananaeum et Pherezaeum in manus eorum et percusserunt in Beree decem millia virorum.“ Jud. I. 4. Occurrunt porro quoque: III. Reg. 9, 20. II. Par. 8, 7. I. Esdr. 9. 1. II. Esdr. 9. 8. Judith. 5, 20. — 3.) Jebusaei: „Jebusaeum autem, habitatorem Jerusalem, non potuerunt filii Juda delere; habitavitque Jebusaeus cum filiis Juda in Jerusalem usque in praesentem diem.“ Jos. 15, 63. Occurrunt: II. Reg. 1, 5. III. Reg. 9, 10. I. Par. 1, 11, 21. cap. — II. Para. 3, 1. 8, 7. — I. Esd. 9, 1. II. Esd. 9, 8. Judith 5, 20. Zach. 9, 7. — 4.) Hevaei: „Non fuit civitas, quae se non traderet filiis Israël praeter Hevaeum, qui habitabat in Gabaon: omnes enim bello cepit.“ Jos. 11, 19. Commemorantur Jud. 3, 3. II. Reg. 24, 27. IV. Reg. 17, 31. I. Par. 1, 15. II. Par. 8, 7. Judith 5, 20. 25—27. — 5.) Gergesaei, Hetthaei; Amorrhaei, loco quidem moti sunt, aut subjecti; ast non eliminati: „Pugnaveruntque contra vos viri civitatis Jericho, et Amorrhaeus, et Gergesaeus, et Hetthaeus, — et tradidi illos in manus vestras, et ejeci eos de locis suis.“ Jos. 24, 11. Commemorantur porro quoque Amor-

rhaei: „reliquiae Amorrhaeorum." II. Reg. 21, 2. III. Reg. 9, 21. Gergesaei: II. Esd. 9, 8. In novo quoque testamento nomine Gergesenorum: Matth. 8, 28. Cf. 34. Hetthaei Jud. 1, 26. Immanserunt suis sedibus: II. reg. 11, 3. 6. Davidi facti tributarii III. Reg. 9, 20. cf. 11, 1. Suismet principibus obnoxii: III. reg. 10, 29. IV. reg. 7, 6. Sub captivitate quoque Babilonica I. Esd. 9, 11.

§. 22. Cum irrefragabili hac codicum sacrorum auctoritate arduum omnino est, Procopii testimonium conciliare: qui de bello Vandalico lib. II. cap. X. tradit: „Tnnc temporis (ducatum Josue, filio Nave, gerente) maritima omnis regio a Sidone ad Aegypti fines, Phoenice dicebatur, nec nisi unum ibi fuisse quondam regem, confessione omnium constat, qui de Phoenicum antiquitatibus scripsere. Illic gentes numero abundantes degebant, Geresaei et Jebusaei, aliaeque aliis discretae nominibus in Hebraeorum Historia. At ubi Ducem advenam vinci non posse intellexerunt, relicta patria in Aegyptum conterminam commigrarunt. — Hic loco non invento, qui sedes ipsis satis latas praaberet, in Africam concesserunt, quam totam usque ad columnas Herculeas obtinuerunt, multisque urbibus conditis, frequentarunt. Phoenicum lingua etiam nunc utuntur incolae. Castellum quoque struxerunt in urbe Numidia, ubi est urbs jam dicta Tigisis. Ibi ad fontem uberrimum columnae e lapide candido visuntur duae: quae incisum Phoenicum literis et verbis sententiam hanc servant: Nos sumus, qui fugimus a facie Jesu latronis, filii Nave." Sententia haec in thesaurum quoque Stephani et alios transiit.

Num Procopius, seculi sexti Scriptor, inscriptionem, lingua Punica, bene legerit et intellexerit? — Quaeri merito posset. Non enim inscriptionum lectores ac interpretes semper felices: Argumento sit gentilis noster Petrus Katanchich, de quo laudatus Hormayr. l. c. p. 97. juste animadvertit: „Jahr 1795 der Agramer Professor Katanchich, in einem: Specimen Philologiae et Geographiae Panonicorum, simul de origine lingua et literatura Croatarum“ hat aus dem Sarg eines römischen Priesters, neben einer Münze von Caracalla, aus Charakteren, die wegen ihrer äussersten Kleinheit und Verwirrung selbst dem bewaffneten Auge schwer unterscheidbar sind, und gewiss entweder griechisch, oder viel wahrscheinlicher römisch waren, eine slawische (illyrisch-neucroatische) Inschrift herausgefoltert, und, was erst zu beweisen ist, und wohl nie bewiesen werden wird, das Sclawenthum dieser Inschrift als Beweis gebraucht, dass die Pannonische Ursprache die Sclavische; dass die alten, wilden Pannonier oder Paeonier, so wie die Marcomanen, schlawischen Blutes, und dass diese Schlaven das Urvolk dieser Gegenden seyen! Ein vitioser Zirkel lässt sich kaum denken, und es möchte sich die Mystification hier wiederholt haben, die einige Archaeologen in dem in's Gestein des Montmartre buchstabenweise eingehauenen: „Ici est le chemin des anes“ eine römische Inschrift erkennen.“ Quam infaustus lector et interpres inscriptionum Auctor noster sit, licet, uti gloriatur, — 200 millibus Diplomatum lectis se ad argumentum isthoc apparaverit, p. 4. infra §. 59. patebit.

§. 23. Hoc testimonium, meo videri, multiplici laborat errore: 1.) Fallit, dicens: in tota, quae a Sidone ad Aegypti fines procurrit, maritima regione, Phoenice dicta, fuisse unicum duntaxat, temporibus Josue, regem: cum gens singula suismet subdita vixerit regibus, urbes vero maritimae Gaza, Ascalon, Azot propriis Satrapis etc. §. 18. — 2.) Gergesaeos, Jebusaeos, Cananaeos etc. Phoenicen, sensu lato dictam, coluisse, ve-

rum quidem est, ast ipsos Josuam effugisse omnes, fallit; nam impugnati, ast non expugnati, nec eliminati §§. 21. 22. — 3.) Gergesaeos, Jebusaeos, aliosque Cananaeos Africam, Mauretaniam, usque ad columnas Herculeas impopulasse, a vero est quam maxime alienum: Plures illam gentes ex Aegypto, Aethiopia, Arabia, Asia, Europa obsederant ac frequentarunt: Phutes, Lybii, Afri, Mauri, Numidae, Phoenices, Graeci etc. „Lybiae colonos dedit circa an. 2117 a. Ch. Phutes, deque suo nomine Phutos dici voluit: exstat et flumen in Mauretanea hoc nomine; et complures apud Graecos Historici ejus mentionem faciunt, sicut et adjacentis regionis, quae Phute dicitur. Mutavit autem praesens nomen ab uno filiorum Mezraei, qui vocabatur Lybis", testatur Jos. Flavius antiq. l. I. cap. 7. „Alexander Polyhistor sic scribit: Cledemus narrat Abrahamum e Chetura aliquos filios suscepisse, tres nominatim recensens: Afram, Surim et Japhram; a Surym appellatam Assyriam ab Afra vero et Japhra urbem Aphram, et regionem Africam denominatos. Hos enim ductu Herculis in Lybia militasse contra Anteum." Idem Jos. Flav. l. I. cap. 16. Afrorum meminit etiam Justinus in Philipp. lib. XIX. Maurorum Strabo XVII. p. 567. Cassius Dio LX. Livius XXI. 22. Mela I. 4. Numidarum, quorum tribus variae: Massylae et Massaesylii etc. Sallustius B. J. Strabo XVII. Mela 2, 5. Plinius V. 3. Appianus Pun. Caesar etc. Africae a pluribus gentibus frequentatae testis est Herodotus lib. II. 32. „Oram Africae, mari septemtrionali obversam, Lybies et Lybium multae gentes, ab Aegypto incipientes, omnem praetexunt usque ad promontorium Soloëntem, quod Africae extremum est: praeter id, quod

Graeci obtinent, aut Phoenices." Gergesaeorum, Jebusaeorum ac Cananaeorum, Africam excolentium, nullus omnino Scriptorum veterum meminit. Fuerant proin illi, Josue, filii Nave, servitutem effugientes, columnarumque auctores, Sidonii, Sinii, ex Phoenice proprie dicta; quod et Sydoniorum, Penorumque Historia confirmat. Cf. Heeren's Ideen Theil I. II. Justin. lib. XVIII. Diod. Siculum lib. I. etc. —

II. Philistaei et Philistaea.

§. 24. Maritima Syriae, Aegypto confinia quoque, vetustissimi incolae Cananaei obtinuerant: „Pertransivit Abram terram Canaan usque ad Sychem, usque ad convallem illustrem; Cananaeus erat in terra. — Inde transgrediens ad montem, qui erat contra orientem Bethel (prius Lusa) tetendit ibi tabernaculum suum ab occidente habens Bethel, et ab oriente Hai. — Perrexit Abram vadens et ultra progrediens ad meridiem. Facta est autem fames in terra, descenditque Abram in Aegyptum et peregrinatus est ibi." Gen. 12, 5—10. Fuit itaque Cananaea primitus Aegypto immediate contermina. Abrahamo ex Aegypto circa an. 2150 a. Chr. reverso, universaque Pentapoli igne absumta, easdem partes australes maritimas jam Philistiim obsederant: „Profectus inde Abraham in terram australem habitavit inter Cades et Sur, et peregrinatus est in Geraris. — Misit ergo Abimelech, rex Gerrarae. — Abimelech et Phicol, princeps exercitus ejus (inita cum Abrahamo amicitia) — reversi sunt in terram Philistiim. Abraham vero fuit colonus Philistiim multis diebus." Gen. 20, 12. 21, 33—34. — A Neoincolis his Cana-

naeae pars maritima, Aegypto confinis, Philisthin (Palaestina) nomen cepit, quod subin ab exteris in universam terram Canaan, in ipsam quoque Judaeam, extensum fuit: „Is tractus Syriae (maritima Syriae) et quidquid Aegypto tenus est, Palaestina vocitatur.“ Herod. lib. VII. 89. Cf. Plinium V, 12. 13. Ptolomaeum et alios. Gentis ac terrae hujus nomina exin variant: Palaestini, Philisthaei, Philisthini, αλλοφιλοι, Alienigenae (Gen. 26, 1. 14. 18. Judicum 15, 3. 5. 6. 9 etc., sed tantum apud Interpretes; textus originalis constanter Philistiim aut Phelistim, Falestim legit nomen gentis; regionis vero Philisthaea: Isaiae 14, 29. 31. „Ne laeteris Philisthaea omnis — Prostrata est Philistaea omnis etc.“

§. 25. Terram, quam Philistiim invaserant, Hevaeorum, tribus Canaan, fuisse, constat: traditur enim Deu. 2, 23. „Hevaeos, qui habitant in Hazerim expulerunt, et habitarunt pro illis.“ Suis et ipsi suberant regibus, quorum nomen commune Abimelech, sedesque Gerarae, a fluvio cognomine nuncupata: „Misit ergo Abimelech, Rex Gerarae.“ Gen. 20, 2. „Isaac venit ad torrentem Gerarae.“ Gen. 26, 17. Urbes eorum quinque: Gaza, Geth, Azothus, Ascalon et Accaron.“ Jos. 11, 22. Jud. 1, 18. Jos. Flau. antiq. Jud. lib. VI. „Et cum convenissent quinque civitatum Palaestinorum Principes; Gittae (Geth), Accaronis, Gazae, Ascalonis et Azoti, dispiciebant.“ — Munitissima harum, eodem Josepho Flavio teste de bello Judaico lib. III. Ascalon: „Ascalon erat civitas antiqua DCC. et XX: stadiorum spacio ab Hierosolymis distans, et Judaeis semper invisa, validissimoque muro cincta.“ Ascalonitae urbis Tyri conditae causa fuere:

„Post multos deinde (Sidone urbe condita) annos Sidonii a rege Ascalonorum expugnati, navibus appulsi, Tyrum urbem ante annum Trojanae cladis condiderunt,“ referente Justino lib. XVIII.

§. 26. Ast unde terram Canaan invaserint, sententiae admodum variant: Qui LXX. JJ. ac vulgatae auctorem sectantur, ipsos e Cappadocia immigrasse, Cappadocesque origine fuisse, censent: legitur quippe Deu. 2, 23. „Hevaeos, qui habitabant in Haserim usque Gazam, Cappadoces expulerunt, qui egressi de Cappadocia deleverunt eos, et habitaverunt pro illis.“ Item Amos. 9, 7. „Num quid non Israël ascendere feci de terra Aegypti et Palaestinos de Cappadocia, et Syros de Cyrene (Cir.)?“ Omnes tamen uno ore confitentur, hic non intelligendam esse Cappadociam ad fluvium Halyn sitam, Phrygiae confinem (Plin. V. 2. 24. 32. VI. 3. Herod. VII. 26); Jeremiae enim 47, 4. Palaestini palam reliquiae insulae Cappadociae dicuntur; qualis illa neutiquam fuit; ideo Cappadociam Colchis viciniam potius putant. Alii, qui fontem Hebraeum respiciunt, Palaestinos Caphtoreos, e Caphtor egressos, disputant. Sic enim legitur in fonte locis citatis. — Lectionem hanc praeferendam esse, nullus dubito: Cappadociae enim nomen teste Josepho Flavio antiq. Jud. lib. 1. cap. VII. novum est; vetus superest Mazaca, tum Leuko Syria (Strabo l. XII. p. 473. Plin. VI. 3.); nec insulae seu ad Colchos Indiae, intra Gangem, emporium celebre (Cf. Ptol. Peripl. Mar. Eryth.) seu ad Colchidem terram Cytaeam, Ponto Euxino vicinam, ullum apud Geographos veteres vestigium.

§. 27. Quaenam ergo illa Caphtor insula? Opiniones non absimiliter variant; alii cel. Michaëlis in Syntagmate sententiam amplexi, putant Cyprum insulam Palaestinae vicinam, quae olim Chetim fuit Hehraeis dicta, Jos. Flavio teste ant. Jud. l. I. cap. VII. Alii Cretae insulam censent juxta Calmetum eo, quod Philisthaei I. Reg 30, 14. Ezech. 25, 16. Sophoniae 2, 5. Cerethraei, Cereti = Cretaei cognominentur. Alii denique secundum Benjaminum Tudelen. nomine Caphtor, viciniam Damietae, in Delta insula, existimant, quae primum Aeria dicta fuit: *Μετωνομασε δὲ τὴν Αεγυπτοι τω ἰδιω ονοματι ἥτις προτερον Μεσραια παρ ἐλλεγετο.*" Ita Eusebius Chron. in vita Moysis. Cf. etiam Stephan. Bizant. et Gellium in h. l. Caphtoraei hi videntur primum Cretam insulam petiisse, inde per supervenientes hospites, quos Herodotus lib. VII. 170. 171. recenset, arctati terram Heveeorum in Canaan invasisse, inde *Ἀλλοφιλοι*, alienigenae: id est non Cananaei, non Phoenices, non Graeci, compellati. Sed vide Simonis onomasticon, item: F. C. Mover de utriusque recensionis vaticiniorum Jeremiae Graecae Alexandrinae, et Hebraeae Masorethicae indole, atque origine comentatio critica §. 13. Quidquid horum sit, illud certum: Philisthaeos ex Assyria vel Cappadocia, quod quaestionis caput est, haud immigrasse.

§. 28. Id non minus certum, Philisthaeos a Josue, filio Nave, sedibus obsessis eliminatos aut excisos neutiquam fuisse: Siquidem 1.) inter gentes Abrahae semini subdendas (Gen. 12, 14). Philisthym haud sunt addicti §. 16. — 2.) Inter reges triginta et unum, quos Moyses et Josue debellarunt, rex Philistinorum non refertur. Gen. 21, 12.

— 3.) Apertis significatur verbis Philisthiim in avitis sedibus relictos esse: „Terraque latissima derelicta est, omnis terra Cananaeis confinis, quae in quinque regulos Philisthym dividitur: Gazaeos, Azotios, Ascalonitas, Gethaeos et Accaronitas.“ Jos. 13, 3. Item: „Hae gentes, quas Dominus reliquit — quinque Satrapae Philistinorum.“ Jud. 3, 13. — 4.) Quin ipsi invaserant subin terras Israël in tribus jam divisas: primum quidem inauspicate: Jud. 3, 31; mox ad subjectionem usque: servieruntque Israëlitae Philisthaeis annos quadraginta.“ Jud. 10, 11. et cap. 13. Davide ac Salamone regnantibus facti sunt Israëlitarum tributarii II. Reg. 8, 1. etc.; ast brevi nonnisi tempore; in medio terrae Israël insignis eorum locus Gebbethon. III. reg. 16, 15. Potentia regum Assyriae, Babilonis, atque Alexandri magni fracti quidem; ast non confracti. Maccabaeorum quoque tempore terram sui juris possederant: „Persecutus est Judas Seron principem exercitus Syriae in descensu ad Besseron, et ceciderunt ex eis octingenti viri; reliqui autem fugerunt in terram Philisthiim.“ I. Macc. 3, 24. Imperio Romanorum tandem subjecti, tempore Ptolomaei Geographi, Palaestinae primae partem constituerunt. Cf. Mannert. VI. 1. p. 205. 246. 249.

§. 29. Nec Philistiim proin a Jesu, Nave filio, sedibus fugati, Aegyptum visentes, atque Africam totam usque Mauritaniam et Alpes Herculeas potuerant obsedisse, quod Horvatius noster vult; inter veteres Africae, Mauritaniae etc. colonos, sicut Gergesaeorum, Jebusaeorum, Cananaeorum etc., ita Philisthaeorum nec fama, nec vestigium. Cf. Plinium lib. III. cap. I—VII. Neque Philisthaei

poterant itaque ex Africa Europam, Hispaniam, Italiam etc. impopulasse, culturae omnis alumni, Curetum — Quiritum — parentes etc. In verbis ejusdem Plinii (lib. III. c. XX.) „Inde (adriatici maris) ostia plena: Carbonaria etc. fossiones Philistinae, quod alii Tartarum vocant, omnia ex Philistinae fossae abundatione nascentia: Accedentibus Athesi ex Tridentinis Alpibus et Togifono ex Patavinorum agris“, tantum operae pretium latet; quod ex adjecto: alii Tartarum vocarunt, apparet satis, non Philistinorum incolatus; incolae Ligures fuerant: sequitur enim mox: Ligurum quidem lingua amnem ipsum Bodinum vocari.“ Sed nomen fossae extricent curiosi.

III. Pelasgi et Pelasgia.

§. 30. Pelasgorum res Strabo Geographus dissertissime tradidit: Fuerunt primitus Thessaliae cum Lapithis, Perrhebaeis ac Aetolis incolae. Pelasgia sita fuerat inter ostia Penei et Thermopylas usque ad montana Pindi; ad ortum mari Aegaeo ad occasum fluvio Atracis, ad boream Macedonia, ad meridiem Phtiotis regione terminata. Olim Pyrrhaea et Aemonia dicta. Cf. Her. VII. 183. 188. 193. Diod. Sic. XI. 12. Ptol. III. 13. Plin. IV. 16. Pelasgi sedibus avitis exturbati Argos concessere: „Pelasgi, qui ex Thessalia venerant — Pelasgos antiquam gentem per universam Graeciam extitisse, maxime inter Aeolos, Thessaliae incolas, claram, apud omnes fere in confesso est. — Et Pelasgorum Argos dicitur Thessalia, quae est inter ostia Penei et Thermopylas usque ad montana Pindi; quod Pelasgi loca ea obtinuerint. Jovem quoque

Dodonaeum poëta (Homerus) Pelasgicum vocat: „O Rex Dodonaee Pelasgice!“ inquit Strabo l. V. pag. 220—221. Consentit Herodotus libro I. 57. „Pelasgi quondam incolentes regionem, quae nunc Thessaliotis nominatur.“ „Hieronymus campestris Thessaliae et Magnesiae circulum tria stadiorum millia continere affirmat, habitatum primo a Pelasgis, quos Lapithae in Aetoliam expulerunt, qui nunc vocatur Pelasgicus campus; in eo esse Larissam etc. Universim vero scias olim eum fuisse Pyrrhaeam nuncupatam a Pyrrha, Deucalionis uxore; Aemoniam ab Aemone, Thessaliam a Thessalo, Aemonis filio“ Ita Strabo lib. IX. p. 443.

§. 31. Emigrantes Pelasgi, Booetis sede pulsis, Arcadiam ad Thesprotos insederant; mox in Peloponesum Atticamque diffusi Graeciae suum imposuerant nomen, hancque litteris allatis excoluerunt: „Ephoro, ut Pelasgos ex Arcadia esse diceret, autor fuit Hesiodus:

Lycaone natus
Quem quondam fertur clarus genuisse Pelasgus.“

Aeschylus in Supplicibus seu Danaidibus, eorum Patriam facit Argos, apud Mycenas. Sed et Peloponnesum fuisse Pelasgiam vocatam Ephorus scribit.“ Strabo lib. V. p, 220—221. A Booetis reversis loco moti Atticam coluerant: „Booeti domum suam postliminio repetentes junctis viribus, Pelasgos ejectos Athenas compulerunt, a quibus et urbis quaedam pars Pelasgica est dicta, et habitaverunt sub Hymetto.“ Idem p. 401. Ditiones Epirum usque protulerant: „Multi etiam Epirothicas gentes Pelasgicas nominant, quod eousque suam Pelasgi ditionem protulerint.“ Idem p. 221.

l. c. Confirmat Herodotus lib. I. 57. „Pelasgi urbem Crestonem incolunt, aliquando finitimi eorum, qui nunc Dorienses vocantur, et Placiam et Scylacen; — Pelasgi habitaverunt in Helesponto, qui contermini Atheniensium fuerunt; — Gens Attica, utpote Pelasgica, quae in Hellenas transiit." — „Gentes prisco tempore praeferebantur (in Graecia) altera Pelasgica, altera Hellenica; quarum illa nunquam illo solo excessit." L. I. 56. Pelasgi Argivi subin in Danaos, Attici in Hellenes transiverant: „Euripides in Archelao ait:

> Danaus, qui quinquaginta genuit filias,
> Argos profectus, urbem condidit Inachi,
> Pelasgiotas hicque dictos antea,
> Danaos vocari jussit."

Strabo l. V. p. 221. „Gens Attica, utpote Pelasgica, quae in Hellenas transiit." Herod. l. I. 56.

§. 32. Pelasgi coloniarum, urbiumque plurimarum auctores facti sunt: „Ephorus ait: se arbitrari eos, qui a prima stirpe Arcades essent, militarem amplexos vitam et in studii ejus, nominisque societatem multis perductis, magnum sibi nomen cum apud Graecos parasse, tum apud alios: nam et in Creta coloni fuerunt, vt Homerus author est; apud quem Ulisses ita Penelope narrat:

> Diversis illic linguis utuntur: Achaei,
> Magnanimique Eleocretes, intusque Cydones
> Doriesque habitant triplices, divique Pelasgi."

Multique horum Pelasgi sunt dicti, de quibus deinde gentibus sint nomina indita: Nam et Lesbum Pelasgiam appellarunt, et Homerus eos, qui finitimi sunt Cilicum in Trojade, Pelasgos vocat:

Pingvia Larissae ducebat culta tenentes
Hypothous, hastas solitos tractare Pelasgos:

Anticlides primos Pelasgos Lemno et Imbro vicina condidisse, scribit: quosdam eorum cum Tyrrheno, Atys filio, in Italiam navigasse" Strabo lib. V. p. 221. „Olim Arga usurpabatur, quae nunc Caere; ferturque condita a Pelasgis, qui e Thessalia venerunt" l. c. p. 220. Confirmat Plinius l. III. VIII. „Etruria ab amne Macra, mutatis saepe nominibus: Umbros inde exegere antiquitus Pelasgi; — Cere intus M passum quatuor, Agylla a Pelasgicis conditoribus dictum." — Pelasgorum, Peloponesi regione egressorum, Jonumque dictorum, meminit Herodotus: „Jones, qui quamdiu in Peloponeso regionem, quae vocatur nunc Achaia, incoluerunt, et ante adventum Danai et Xuthi Peloponesum, ut Graeci aiunt, vocabantur Pelasgi Aegiales, litorales, sed ab Jone, Xuthi filio, Jones sunt appellati. Insulani — et ipsa Pelasgica gens, sed mox Jonica ob eandem causam." Lib. VII. 94. Meminit etiam Pelasgorum Athenis eliminatorum: „Pelasgi, posteaquam ex Attica ab Atheniensibus exacti sunt, sive jure, sive injuria — solum vertentes, tum alia loca, tum vero Lemnum obtinuerunt." Lib. VI. 134—138. Cf. lib. V. 26. VI. 136. VI. 42.

§. 33. Pelasgi lingua utebantur propria, non graeca, barbara ideo dicta; literas ab ipsis traditas, postea etiam, quum extorres, aut subditi facti sunt, conservarunt, linguam autem suam ipsis indiderant Graeci: „Pelasgi utebantur lingua barbara; — Hellenum linguam addidicerunt. Quam linguae figuram intulerunt in haec loca transeuntes, eamdem etiam nunc conservant Graeci." He-

rodot. I. p. 57. — Pelasgicum regnum in Graecia finiit anno primo Olympiadis, a. Ch. 668. annos prope nongentos conservatum. Cf. Liv. XXXII. 5. Senec. ad Heliod. cap. VII. Xenoph. rer. Graecarum VII. Pausanias Arcad. cap. 26. Eliac. I. 5. II. 22. Polyaenus II. 15. Inter cunctas fortunae vices Pelasgis itaque cum Philisthaeis, aut cum Gergesaeis, Jebusaeis ac Cananaeis nihil omnino commune.

IV. Parthi et Parthia.

§. 34. Parthorum res Herodoti, Justini, Strabonis, Plinii ac Diodori Siculi concordibus testimoniis exploratae magis: „Ii solitudinem inter Hircaniam, et Dahas, et Areos, et Spartanos, et Margianos furtim occupavere. Fines deinde, non intercedentibus primo finitimis, postea etiam prohibentibus, in tantum protulere; ut non immensa tantum jam ac profunda camporum, verum etiam praerupta collium, montiumque ardua occupaverint. Ex quo fit, ut Parthiae pleraque finium aut aestus, aut frigoris magnitudo possideat: quippe cum montes nix et campos aestus infestet," ait Justinus Lib. XLI. Cap. I. Herodoto etiam III. 93. Parthi Chorasmiis, Sogdiis et Ariis confines" Item III. c. 117: „Est in Asia planities undique cincta montibus, quinque in locis intercisa, quae aliquando fuit Chorasmiorum, in finibus sita Chorasmiorum, et Hyrcaniorum, et Parthorum, et Savangensium, et Tamanaeorum; sed postquam Persae rerum potiti sunt, facta est regis." Suffragatur etiam Strabo: „Parthia ampla non est — cum Hyrcania censa. Praeterquam quod parva, densa

silvis est, montosa et inops.“ Lib. XI. p. 314. Cf. L. 14. etc.

§. 35. Parthi Scytharum segreges fuerant: „Parthi, ait Justinus l. XLI. c. 1. Scytharum exules fuerunt: Hoc enim ipsorum vocabulo manifestatur; nam Scythico sermone Parthi exsules dicuntur.“ Item: „Scythae Parthos, Bactrianosque condiderunt.“ L. II. c. 1. — Scytharum vero nomenclatio, ortus, ac sedes primaeva, pro traditionum diversitate variant: „Scythae gentem suam, inquit de iis Herodotus (IV. 3. sqq.) antiquissimam aiunt. Virum quemdam in hac terra, quum deserta esset, primum fuisse nomine Targitaum (Togorma?). Ab ipsius liberis progenitos esse Auchatas, Caliarios et Traspites ac Paralatas; omnibus autem nomen fuisse Scolotis regis cognomen, sed Scythas Graeci appellavere. Haec Scythae de se narrant. — A Scytha, Herculis filio, natu minimo, progeneratos Graeci, qui habitant in Ponto, referunt. Fertur et alius sermo, ita habens; cui ipse praecipue assentior: Scythas Nomadas, qui Asiam incolunt, quum a Massagetis bello vexarentur, Araxe transmisso, in Cymeriam abiisse; nam regio, quam nunc Scythae incolunt, ea fertur olim Cimmeriorum fuisse.“ Diodorus vero Siculus refert (L. II. XLIII.). „Scythae olim angustam possidebant regionem, sed paulatim viribus ac strenuitate sua potentiores facti, longe lateque propagatis finibus, ad magnam imperii amplitudinem et gloriam nationem suam provexerunt. Ad Araxem fluvium initio perpauci admodum et propter ignobilitatem contemti consederant. Post unum ex antiquis regibus, bellicosum et imperatoriis artibus egregium adepti, quidquid

montanarum est ad Caucausum et Campestrium ad oceanum, paludemque Maeotiam, et reliquarum ad Tanaim usque flumen terrarum, regioni suae adjecerunt. Exinde fabulantur Scythae, virginem ex terra apud se natum, cujus forma cingulo tenus foeminam, inferius viperam repraesentaverit. Cum hac Jovem congressum, Scythen genuisse. Is, inquiunt, cum prae majoribus apprime clarus evaderet, gentem suo nomine insignivit; — — ex qua Sacae et Massagetae et Arimaspi, aliique plures aliis nominibus indigitati, originem ducunt. Ex his Scytharum aborigines terram, qua Araxes Mediam lambit, primitus obtinuisse; indeque armorum virtute in Europae oras ad ortum extremas, ac maris Caspii litoralia diffusos fuisse, vero simillimum."

§. 56. Scythiam vetustissimam, cultumque Scythicum sequentibus circumscripsit limitibus Justinus lib. II. cap. II. „Scythia autem ad orientem porrecta includitur ab uno latere Ponto et ab altero montibus Ripaeis, a tergo Asia et Phasi flumine. Multum in longitudinem et latitudinem patet. Hominibus inter se nulli fines: neque agrum exercent, neque domus illis ulla aut tectum, aut sedes est; armenta et pecora semper pascentibus, et per incultas solitudines errare solitis. Uxores, liberosque secum in plaustris vehunt; quibus, coriis imbrium hiemisque causa tectis, pro domibus utuntur." Scythae, quos Herodotus (Periclis contemporaneus) novit ac descripsit, inter fluvios Tanaim et Borysthenem agitabant: ad occasum Istro et Montibus Agathirsiis (Daciae) Neurorumque populo, ad boream deserto magno, supra quod Anthropophagi et Melanchlaeni, ad ortum

Tanai, ac paludibus Maeotidis, ad Austrum ponto Euxino, et Peninsula Taurica, circumscripti. In regios (Basilaeos) et Aratores (Georgios), tum Nomades, seu pastoritios distincti. Separatae trans Borysthenem degebant tribus nonnullae: Callipedae atque Alazontes nuncupati. Scythae Regii maxime numerosi ceterorum praecipui, ac quasi Domini habebantur. Vide Herodot. lib. IV. 10. 12. 13. 19. 55. 71. 73. 101. VI. 84. etc. Scythia et Scythae, quales Strabo VII. Mela I. 2. II. 1. III. 5. 7. Plinius l. IV. 11, 12. VI. 13, 17. ac Ptolomaeus, suo tempore descripserant, ad caput praesentis quaestionis neutiquam pertinent.

§. 37. Parthi quorumnam Scytharum, Europaeorumne, an Asiatarum, fuerint segreges vel exules, est oppido incertum: Triplicis ipsorum secessionis prostant indicia: dupplicis meminit Herodotus: una orientem alia Mediam versus facta: de priori ait: „Super hos (Budinos, Thyssagetas et Tyrcas) regionem auroram versus incolunt alii Scythae, qui a regiis Scythis deficientes, ita ad hunc locum pervenerunt. Ad hos usqe Scythas regio omnis Scythica est campestris et soli profundi; reliqua dehinc lapidosa atque salebrosa. — Nomen eis est Argippaei (Kalmuci ?).“ L. IV. 22. 23. Alteram lib. I. 73. promit: „Apud Scythas Nomadas, quum esset seditio, caterva virorum clam excessit in terram Mediam, qua tempestate Medorum Tyrannus erat Cyaxares, Phraortis filius, Dejocis nepos; qui Scythas hos, utpote supplices, initio benigne excipit, et cum plurimi eos faceret, pueros eis tradidit imbuendos et lingua Scythica et artificio sagittandi. Interjecto dein tempore, Scythae hi — puericidio commisso — ce-

lerrime ad Alyattem, Sadyattis filium, Sardes se contulerunt. Quos deinde repetenti Cyaxari, quod Alyattes reddere abnuerat, bellum inter Lydos, Medosque quinquennale conflatum est.“ — Tertiam Justinus prodidit (l. II. c. 4.): „Apud Scythas medio tempore (ipsis annos quindecim pacandae Asiae immorantibus) duo regii Juvenes, Ylinos et Scolinos, per factionem Optimatum domo pulsi, ingentem juventutem secum traxere; ast hi in Cappadociae ora juxta amnem Thermodonta consederunt, subjectosque Themiscyrios campos occupavere. Ibi per multos annos spoliare finitimos asueti, conspiratione populorum per insidias sunt trucidati.“ Omnes hae secessiones et tempore et loco a Parthicis remotae ad Scythas Aratores, sive Georgios, non pertinebant; similius proin vero est, Parthos Scytharum Nomadum, qui in Asia ortum versus agitabant, vasta solitudine mediante, segreges fuisse. Cf. Strabonem lib. XI. p. 511.

§. 38. Quidquid horum sit, res Parthorum, principio exiles, amplissime increvisse, refert Justinus lib. XLI. cap. I. „Parthi, penes quos, velut divisione orbis cum Romanis facta, nunc orientis Imperium est, — et Assyriorum et Medorum temporibus, inter orientis populos, obscurissimi fuere. Postea quoque, quum imperium Orientis a Medis ad Persas translatum est, veluti vulgus sine nomine, praeda victorum, fuere. Postremo Macedonibus, triumphato oriente, servierunt; vt cuivis mirum videatur, ad tantam eos felicitatem per virtutem evectos, ut imperent gentibus, sub quarum imperio veluti servile vulgus fuere. A Romanis quoque trinis bellis per maximos Duces, florentissimis temporibus, lacessiti, soli ex omni-

bus gentibus non pares solum, verum etiam victores fuere; quamquam plus gloriae sit inter Assyria et Media, Persicaque, memorata olim regna, et opulentissimum mille urbium Bractianum imperium emergere potuisse, quam longinqua bella vicisse; praeterea cum gravibus Scythicis et vicinalibus bellis assidue vexati, variis periculorum certaminibus urgerentur" Mox bella, mores, linguam, vestes etc. uberrime percenset; nihil tamen iis cum Philisthaeis seu Pelasgis commune dicit fuisse. Strabo descripsit Parthiam lib. XI. p. 514. „Partes Parthiae sunt Camisena et Chorena; fere etiam quidquid est usque ad portas Caspias et Aragos, ac Tapyros, quae olim Mediae fuerunt. Est et Apamaea et Heraclaea, urbes apud Ragas. A Caspiis portis ad Ragas stadia D. auctore Apollodoro: ad Hecatompylon, Parthorum regiam, M.CCLX. etc." Testatur palam Euphrate, ac Phoenicia constrictam fuisse Parthorum ditionem: „Romanis admodum curae non erant ea, quae extra Taurum fiebant, — hoc pacto factum est, ut ditio ea in Parthorum veniret potestatem, qui trans Euphratem sita obtinebant — adeo ad Phoeniciam usque. Proinde quibus Romani crescentibus non obstiterunt, eos tandem auctos viribus bello et misso exercitu coacti sunt opprimere." Potentiâ eorum seculo post Christum primo attenuata, obsides miserant Romanis: Jos Flau. de bello Jud. lib. II. ad an. 18. In Persarum ditionem redacti anno 230—236.

V. Historiosophia Horvatiana.

§. 39. Cum in universa vita humana et vulgari adeo negociorum usu, prudentia opus est ac

discretione; tum in legendis usurpandisque rerum gestarum scriptoribus singularis cura adhibenda, ut ipsorum mens, ingenia et mores, fontes vnde sua hauserint, consilia, quae secuti sunt, genusque scribendi, explorata habeamus; si fidem illis habendam certam atque tutam esse velimus. Tantoque magis ea opus est, quanto major est Historicorum numerus, locorum ac temporum diversitas. Curam hanc universim Criticam dicimus. Ad hujus amussim, praemissis notionibus Historicis, sunt jam Horvatiana lineamenta nobis sedulo exigenda.

§. 40. Scriptoris laudati πρωτον ψευδος est, ut diximus §. 5.: Septem gentes Cananaeas fuisse Philistaeas; seu Gergesaeos, Jebusaeos, Cananaeos etc. fuisse Philistiim: id grandi omnino errore sumtum est (§. 5.). Leviter versatus sit ille in codice sacro, cui non clareat, Cananaeos tam origine, quam loco, moribusque fuisse diversissimos; quod et cognomen Philistaeorum Ἀλλοφιλοι et Alienigenae, id est: non Cananaei: satis ubertimque prodit. Diversaeque permanserant; ab imperio Romano, communi demum fato absorpti. §. 13—23 et 24—29.

§. 41. De Scythia et Scythis plura sunt animadvertenda: nomen his commune ac sedes fixae diu non erant, sicut Graecis, de quibus ita Thucydides lib. 1, 2—3: „Constat eam, quae nunc Graecia appellatur, olim non constanter habitatam fuisse; sed primum frequentes illic fuisse migrationes factas et facile suos quemque fines deseruisse, semper ab aliquo majore numero coactum. Nam cum nulla esset negociatio, nec ullus inter

ipsos tutò commercio citra formidinem vel terra vel mari locus, cumque singuli res suas et agros eatenus colerent, quatenus vitam parce agerent, — nec humum arboribus consererent, facile sedes mutarunt. Ante bellum Trojanum ab Helladis civitatibus nihil communiter gestum fuisse constat; ac ne hoc quidem nomen, ut mea fert sententia, universa Graecia commune adhuc habebat; sed ante aetatem Hellenis, filii Deucalionis, cognomen istud nullo prorsus modo videtur fuisse; sed singulae gentes, cum aliae, tum maxime Pelasgica, quae latissime diffusa erat, locis, in quibus degebant, nomen a se ipsis indidisse. — Homerus praecipue hoc indicat, quamvis enim multo post bellum Trojanum sit natus, nusquam tamen universos Graeciae populos appellavit, nec alios, quam eos, qui cum Achille ex Phthiotide venerant, qui etiam primi Ἕλληνες fuerunt, Danaos vero, et Argivos et Acchaeos in suis carminibus nominat." — Venerant primitus Mageri, Huni, Sacae, Massagetae, Arimaspi etc. nomine proprio non communi Scytharum.

§. 42. Sesostrim, Aegyptiorum regem, ante Abrahami tempora vixisse multo, quod Scriptor vult; tam veterum, quam recentiorum crisi convulsum jam dudum est: Josephus Flavius contra Appionem lib. I. ita disputat: „Manethon genere Aegyptius, — paternae religionis historiam ex sacris (sicut ipse ait) interpretatus libris; sic ait: Postquam egressus est ex Aegypto populus pastorum ad Hierosolymam, expulsor eorum Themosis regnavit post haec annis 25. et mensibus 4. et defunctus est. Assumsitque regnum filius Chebron annis 13, post quem Amenophis 20 et mensibus

7; hujus autem soror Amesses annis 21 et mensibus 9; Mephres autem 12 et mensibus 9; Mephramutosis 25 et mensibus 10; Thonosis autem 9 et mensibus 8; Amenophis vero 30 et mensibus 10; Orus vero 36 et mensibus 5. Hujus autem filia Acencheres 12 et mense uno; Rathotis vero frater 9; Acencheres autem 12 et mensibus 5; Acencheres alter 12 et mensibus 3; Armais vero 4 et mense uno; Armesis autem uno et mensibus 4; Armesesmiamum vero 66 et mensibus duobus; Amenophis 19 et mensibus 6. Sesotis (Sesostris) autem equestres et navales copias habens, fratrem quidem Armain procuratorem Aegypti constituit, et omnem ei regalem contulit potestatem, tantummodo autem diademate uti prohibuit. — Ipse vero ad Cyprum et Phoenicen et rursus contra Assyrios atque Medos castra metatus, universos quidem, alios ferro, alios vero sine bello, terrore magnae virtutis, sibimet subjugavit, his vero felicitatibus elevatus confidentius incedebat, orientales urbes ac provincias subvertendo. Multoque tempore procedente Armais, qui in Aegypto fuerat derelictus, omnia contra quam frater agere monuerat, sine timore faciebat, — persuasusque ab amicis et diademate utebatur et fratri rebellabat. — Sesostris domum revocatus repente ad Pelusium destinavit, et proprium tenuit regnum. Provincia vero est vocata ex ejus nomine Aegyptus, dicit enim, quod Sethosis Aegyptus vocabatur; Armais autem, frater ejus, Danaus. Haec quidem Manetho. Palam vero est praedictis annis, tempore computato, quod qui vocabantur Pastores, id est nostri progenitores, ex Aegypto liberati, ante tres et nonaginta atque trecentos annos hanc provinciam inhabitavere, quam Danaus ad Argos accederet, licet hunc

antiquissimum Argivi esse confidant. Duas igitur res Manethon maximas pro nobis Aegyptiis literis protestatus est: primam quidem, quia aliunde venerunt ad Aegyptum, deinde egressum eorum exinde ita temporibus antiquissimum, ut poene mille annis bellum praecedat Illiacum."

Trojae excidium contigit anno ante Christum 1194—1184; juxta Pindari Olym. VIII. 41 sq. vero anno 1124—1114, quod recentioribus chronologiis probatur magis: cecinit illud Homerus annis prope quadringentis serius.

§. 45. Conspirant recentiores quoque Critici: Petrus Wesselingius in Scholiis ad Herodoti librum II. nr. 90 ait: „Diodorus quidem Sicul. 1, 53. επτὰ γενᾶις, VII. generationibus, Sesostrim Moeride recentiorem statuit, secutus alios; sed Nostri notior est fides et auctoritas, quippe multo vetustioris ac seriem regum et successorum Sesostris ita connectentis, ut bene procedat. Pertinet huc elegans et operosa disputatio Ampl. Bouberi, Dissert. Herod. cap. 7. Jam cum Moeris annis ferme nongentis prius mortem cum vita commutaverit, quam Herodotus in Aegyptum fuit profectus cap. 13. abierint praeterea anni circiter octingenti a bello Trojano ad ejusdem usque tempora cap. 145. et ab Hercule, Alcmenae filio, fere nongenti; consequitur ex his narratis manifesto, Sesostrim ne integro quidem seculo ante bellum Trojanum vixisse, aequalem Herculi, Alcmenae filio, vel paulo inferiorem. Plura Jac. Perizonius Orig. Aegypt. cap. 16." Graevius in Scholiis ad Justini Philippicas: „Fuere quidem temporibus antiquiores Sesostris Aegypti et Tanaus Scythiae rex", legunt Angli: temporibus antiquis. — Quae est praestantissima et Historiae convenien-

tissima lectio: nam alias Vexorem (Sesostrem) Nino antiquiorem fuisse falsum. Vide Rupertum ad Besoldi Synopsim. Scheffer. Erravit Trogus in ratione temporis, — Ctesiae probavit Historiam Assyriam falsissimam, aeque ac ceteri. Cum satis certo constet cum ex silentio Scriptorum Antiquissimorum, Mosis, Auctoris libri Josuae, Judicum, Samuelis, Homeri, qui si tam illustre fuisset Assyriorum imperium, ut totius Asiae fere per tantum tempus fuerit potitum, non potuissent non ejus mentionem facere; nec passi essent illi tam potentes reges, ut eorum praefecti, impune sibi eripi florentissimas regiones (a Josua) sinerent, tum ex testimonio Herodoti, qui libro I. tradit Semiramidem quinque generationes floruisse ante Nicocrin, matrem Labyniti, quem Cyrus vicit, hoc est ducentis annis ante Cyrum, regnum Assyriorum tum nondum fuisse, cum a Ctesia scribitur deletum fuisse. — Sesostrim eum regem esse, qui in obelisco apud Ammian. Marcellinum dicitur Ramestes, ab Eusebio et Josepho Ramessis, a Manethone Setosis; recte docuerunt Scaliger ad Eusebium, et H. Valerius ad Ammianum Marcellinum. Istum Sesostrim autem Sesacum illum, qui templum Hierosolymitanum diripuit, dubitare nos non sinunt, quae Nobilissimus Marshamus de ejus Aetate in Aegyptiorum Chronologia ditputavit accurate in Aegyptio canone." Idem Graeve.

§. 44. Cum e sententia Scriptoris H. Parthorum ortus Sesostri huic, Aegyptiorum regi, debeatur §. 6.; is vero, si idem est, qui Ammiano Marcellino Ramestes, Eusebio ac Josepho Flavio Ramessis, dicitur, Amenophis, qui Israëlitis excedentibus,

mari rubro mersus est, filius; regnare coepit in Thebaide ante Chr. 1661. Si vero idem est cum Sesaco: floruit ante Chr. 977 nonnisi annis; quomodo ergo Parthi antiquiores aevo Abrahami, qui egressus est in Canaan ante Chr. 2157? Si Parthi exules Scytharum, ad pontum Euxinum agitantium, quoniam hi Cymmerios, quorum sedes invaserant, persecuti, Cyaxarem, Medum Phraortae filium, Deiocis Nepotem, Ninum obsidentem, obruerant, Asiaque sunt potiti anno ante Christum 635; quomodo rursum Abrahamo vetustiores?? V. Herod. lib. I. nr. 105—109. Cf. l. IV. 12. 13. Ast Cetura, altera Abrahami uxor, genere Parthica? quod idem Scriptor obvertit §. 7. Illius Abul-Pharasius in Historia Dynastarum ab Eduardo Pocochio Oxoniae Arabice ac Latine edita 1663 in 4. p. 14. auctor Seculi XIII. solus et unicus, quantum novimus, testis est; dicens: „Anno autem aetatis Isaaci tricesimo octavo obiit Sara, mater ejus, an. 127 nata, duxitque Abraham Kenturam, filiam regis Turcarum.“ Tum p. 17: „Moyses fugit in terram Arabum, et uxorem duxit Saphuram Ringissam (i. e. nigram) Jatronis, filii Revel, Madianitae, filii Dedanis, filii Abrahami e Kentura, uxore ejus Turcica.“ — Turcis his en! Scriptor Parthos temere supposuit; per Turcas vero Abul-Pharaji eos, qui hoc nomine communiter veniunt, rerum ignarus intellexerit nonnisi, quorum utpote nomen ter mille post Abrahamum annos innotuit: rite animadvertit Ge. Laur. Bauer, qui Historiam Abul-Farraji teutonico reddidit idiomate: „Ketura, welche unser Auctor Kentura schreibt, war keine türkische Prinzessin; denn die Türken sind tartarische Abkömmlinge, und kommen erst nach ungefähr 3000 Jahren zum Vor-

schein." I. Band. p. 257. Similius vero, regionem olim a Troglodytis in Arabia infessam, quae suo tempore Turcarum fuit, ipsum intellexisse; quam Abraham filiis e Cetura genitis reliquerat. Vide Jos. Flau. Antiqu. Jud. l. II. c. V. cf. lib. I. c. 16. Strabonem XVI. Plinium VI. 29. ac Ptolomaeum.

Una haec eruditorum omnium est sententia: „Über die Ursitze der Türken wird uns von keinem Volke etwas Zuverlässiges berichtet. — Eine unbezweifelte türkische Nation finden wir erst im sechsten Jahrhunderte unserer Zeitrechnung am Altai, den die bizantinischen Schriftsteller damaliger Zeit Ektal oder Ektag nennen, und seit der Auflösung des mächtigen Reiches dieser Τουρκοι oder, wie die Chinesen sie nennen, Tuküi, um das achte Jahrhundert (durch die Saracenen) verhallet dieser Name für die Europäer bis in die Zeiten der Schelchuiden." Cf. Versuch über die tatarischen Sprachen, von Wilhelm Scholt. Berlin, 1836.

§. 45. Maximum Scriptoris commentum est: Partho-Scythas Philistaeorum, ac Gergesaeorum, Jebusaeorum, Cananaeorum etc. aborigines fuisse: nec enim Parthicum nomen ante Sesostrim coepit, nec Scythae ante hunc Asia potiti (§. 44.); Abraham vero sexcentis Sesostri vetustior annis, in terra promissa jam Cananaeos reperit, apud Philisthaeos peregrinus fuit annis multis §§. 16. 24. Res Parthorum Justinus libro XLI. ita depingit: „Administratio imperii sub regibus fuit. Proximus Majestati regum populorum Ordo est: ex hoc Duces in bello, ex hoc rectores in pace habent. Sermo his inter Scythicum Medicumque medius ex utrisque mixtus. Vestis olim sui moris, posteaquam accesserunt opes, ut Medis, perlucida et fluida. Armorum patrius et Scythicis mos. Exercitum non ut aliae gentes liberorum, sed majo-

rem partem servorum habent. — Comminus praeliari, aut obsessas expugnare urbes, nesciunt. Pugnant autem procurrentibus equis aut tergadantibus, saepe etiam fugam simulant, ut incautiores adversum vulnera insequentes habeant. Signum his in praelio non tuba, sed tympano datur. Munimentum ipsis equisve loricae palmatae sunt, quae utrumque toto corpore tegunt. Auri argentique nullus nisi in armis usus. — Carne nonnisi venatibus quaesita vescuntur. Equis omni tempore vectantur; illis bella, illis convivia, illis publica ac privata officia obeunt; super illos ire, consistere, mercari, colloqui. Hoc denique discrimen inter servos liberosque est, quod servi pedibus, liberi nonnisi equis incedunt etc.“ An hi mores, ritus, disciplinae Philisthaeorum et Cananaeorum? An horum lingua manifestatur, quod Parthi = exules? etc.

§. 46. Alienum non minus a vero est Scytharum ac Parthorum gentes, sicut Cananaeos, septenis semper tribubus constitisse: Erant quippe primitus Scythae omnes Nomades, vitae pastoritiae dediti, teste Justino: „Hominibus inter se nulli fines; neque enim agrum exercent, nec domus illis ulla, aut tectum aut sedes est; armenta et pecora semper pascentibus et per incultas solitudines errare solitis.“ Lib. II. Scythae Asiatici Strabonis aetate non minus nomades plerumque fuerant: „In laeva parte (maris Caspii, ac Volgae fluminis) opponuntur Scythicae gentes ac nomadicae totum complectentes boreale latus, plerique Scytharum, qui a Caspio mari incipiunt, Dacae appellantur, orienti viciniores Massagetae et Sacae, reliquos communi nomine Scythas dicunt,

quamquam singuli populi etiam sua nomina habent; plerique omnes vagam degunt vitam, id est Nomades sunt. De his maxime innotuerunt Asii (Osii, Uzi) Pasiani et Tachariae, Sacaranti, et trans Jaxartem de Dais alii Aparni dicti sunt, alii Xanthii, quidam Piscuri.“ Strabo L. XI. p. 511. Scythae genuini, Herodoti aevo, in Georgios seu Aratores, Basilaeos, seu regios, ac Pastoritios, seu Nomades erant duntaxat divisi: „Transmisso Borysthene, inquit Herodotus (lib. IV. c. 18—19) a mari (Euxino) prima est Hilaea; dehinc habitant Scythae agricolae (Georgii). — Quae vero ad latus orientale horum Scytharum, qui agricolae sunt, adjacet, transmisso flumine Panticape, Scythae jam Nomades, id est: pastoritii incolunt, neque serentes quicquam, neque arantes. — Nomades autem isti incolunt spatium 14 dierum itineris, auroram versus, ad Gerrhum vsque fluvium, trans Gerrhum autem sunt ea, quae vocantur Basilaea, et Scytharum optimi et plurimi, et qui suos servos ceteros Scythas arbitrantur.“ Ubi hic septenae Scytharum gentes? — Sed nec inter Parthos visuntur: hi Dionysii Periergetis tempore sub radicibus portarum Caspiarum habitabant, „sagittarii et bellicarum artium gnari; non cum aratro sulcum dirigunt, arva findendo, neque navium remigio mare secant, neque in pratis boum genus pascunt; sed a teneris admodum pueri arcubus, atque equitationi sunt addicti, — praedae vitam sustentant opum armis partarum“ v. 1040—1050. An non omnes sagittarii, τοξοτες, Jazyges? An non omnes Hippomolgi, seu lacte equarum victitantes? (Just. T. I. II. c. 2.) Basilaei vero ii duntaxat, qui regibus parebant; Enarees vero ex ipsis duntaxat illi, qui templi Dianae in Ascalone spo-

liatores (Herodot. lib. IV. 67. I. 165.) Placii vero nec inter Scythas, sed Graeciae accolas, reperti. Herod. I. 57. Uzi (Osii) vero Scythae Asii, vel certe Cumani.

§. 47. Nec seu Scythae, seu Magyari, Chamitae, Nemrodi posteri, quod idem auctor vult: testes enim fide digni aperte refragantur: Codex sacer continentem atque insulas Asiae borealis Japheti genus obtinuisse, docet: „Filii Japhet: Gomer et Magog, et Madai, et Javan et Thubal, et Mosoch, et Thiras. Poro filii Gomer: Ascenez, et Riphath et Togorma. Filii autem Javan: Elisa et Tharsis, Cethim et Dodanim. Ab his divisae sunt insulae gentium in regionibus suis; unus quisque secundum linguam suam, et familias suas in nationibus suis." Gen. 10, 2—5. Explicat Josephus Flavius ant. Jud. cap. VII. „Japheto, Noae filio, liberi fuerunt septem: Horum sedes a Tauro et Amano montibus incipientes, pertinebant in Asia ad amnem vero usque Tanaim, in Europa usque Gades, in terris hactenus vacuis occupatae; quo factum est, ut ipsorum nomina gentibus imponerentur. Quos enim nunc Graeci Galatas vocant, Gomarenses olim dictos Gomar condidit. Magoges vero Magogarum, a se denominatorum fuit auctor, qui ab ipsis vocantur Scythae" etc. Testatur Reinegg in suo itinerario duos Caucasi apices Magog, et Gog nuncupari. Cf. Schultess Paradis. Consonat Domesticorum traditio: Anonymus Belae Notarius ait: „Primus rex Scythiae fuit Magog, filius Japhet, et gens illa a Magog rege vocata est Moger" Hist. Duc. Hung. cap. I. Simonis de Keza sententiam correxit auctor Chronici Thurocziani: „Hunor et Magor, patres Hunorum et Hungarorum non

fuissent filii Nemroth, qui fuit filius Chus, qui fuit Cham — tum ex eo, quia ipse Nemroth nunquam juxta fluvium Tanaim habitasset, tum vero ex eo, quia ut supra dictum est, a Magóg, filio Japhet, descendissent Scythae" etc. P. I. c. I. — Inde Simon de Keza Memrodum, filium Tana (non Chus), ex semine Japhet oriundum, facit Hunorum et Hungarorum Satorem §. 23. Scytharum ac Hungarorum e stirpe Japheti progressum ipsa facies Caucasia, color albicans, manifeste demonstrat. Protoparentes nostri fuerant Hungari Albi, teste vetustissimo Nestore, qui eos Weisse Ugren appellat, edit. Schlötzer p. 45.

§. 48. Nec quinque miriades seu Scytharum, seu Vnnorum in Assyriam a Sesostri translocatos concedere Scriptori possumus: Id antiquissimus testis Herodotus lib. II. 102. 103. ac Diodor. Siculus lib. I. c. 55. ignorant; Justinus vero a Scythis repulsum asserit: „Scythas, quum tanta celeritate venire Rex (Sesostris) addidicisset, in fugam vertitur, exercitusque, cum omni aparatu belli relicto, in regnum se recepit: Scythas ab Aegypto paludes prohibuere. Inde reversi, Asiam perdomitam vectigalem fecere, modico tributo magis in titulum imperii, quam in victoriae praemium imposito." L. II. Valerius Flac. ipsum caesum quoque cecinit (lib. V.) parte exercitus in Colchide relicta:

„Vt prima Sesostris
Intulerit Rex bella Getis, et clade suorum
Territus, hos Thebas, patriumque reducat ad amnem,
Phasidos hos imponat agris, Colchosque vocari imperet"

Josephus vero Flavius Sesostrim oborta domi seditione revocatum ex Manethone Aegyptio asserit,

nulla Scytharum, aut Vnnorum eductione commemorata; cont. Appionem lib. II. Grandibus his testibus Suidas, scriptor sec. XII. ac Manasses Constantinus cedant, est necesse; praesertim cum non sint consentientes: unus enim Scytharum quinque milliones, alter Vnnorum totam gentem in Assyria collocatos; unus ipsos Persica lingua, alter Vnnica Parthos compellatos, asserit: male consuta narratio fabulam redolet.

§. 49. Cum itaque Partho-Scythae Assyriam et Cappadociam incoluerint nunquam §. 48 sq., nec terram Canaan invadere, nec in septem gentes Cananaeas transformari, nec nomine Gergesaeorum, Jebusaeorum, Cananaeorum in Africam, per Josuam, filium Nun, fugari, nec hinc Graeciam ac Cretae insulam Pelasgorum nomine obsidere potuerant: quod Scriptor sine teste ac consule posuit: erant hi gens antiquissima, e Thessalia egressi: a Danao, Sesostris fratre, proxime post partis ipsorum in Asiam transitum, suppressi: „Consentaneum est, inquit Strabo (lib. XIII. pag. 620—621.) Cilicibus continenter poni Pelasgos; cum ex Homeri dictis, tum ex reliqua Historia: Homeri sunt haec:

Hyppotheus gentes ducebat in arma Pelasgas,
Has, quae Larissae subigebant fertilis arva,
Dux his Hyppothous forti cum fratre Pylaeo,
Theutamidae Lethi bona proles uterque Pelasgi.“

Haec verba memorantem Pelasgorum multitudinem indicant: non enim gentem, sed gentes dicit, et Larissae illis sedes adscribit. — Fuisse autem Pelasgos magnam gentem ex aliis etiam Historiis aiunt testatum reddi posse: etenim Menecrates

Elaita in libro de origine urbium, oram maritimam universam, quae nunc Jonica dicitur, sumto a Mycale initio, itemque vicinas insulas, sedem fuisse Pelasgorum, Lesbii vero sub Pylaeo se ad Ilium militasse, aiunt, — quem Pelaponum Ducem Homerus, a quo etiam num mons Pilaeus in Lesbo nomen habet. Alii quoque a Pelasgis se conditos affirmant e Thessalia profectis. Vaga autem gens fuit Pelasgorum et ad migrationes praeceps; et incrementa et decrementa magna ac subita tulit; maxime sub Aeolensium et Jonum transitum in Asiam."

§. 50. Sed nec Creta insula seu nomen, seu frequentiam Scytho-Parthis debet. — Illius incolas tam indigenas, quam admixtitios Diodorus recenset lib. V. cap. LXIV.: „Primi, quorum sane memoria ad nos propagata est, Cretae incolae ad Idam montem Idaei Dactili fuerunt; quos alii centum, alii tantum X. a pari scilicet digitorum numero sic appellatos. Nonnulli, inter quos et Ephorus, Idaeos Dactylos circa Idam, Phrygiae montem, habitasse, ac cum Minoe in Europam transiisse memorant. — Post Dactylos Idaeos IX. Curetes extitisse perhibent; quos alii terrigenas, alii a Dactylis oriundos esse, fabulantur. Habitatio eorum in confertis montium arboretis. Ab his Jupiter, quem clam Patre (Saturno) Rhea mater eorum fidei et tutelae commiserat, susceptus et educatus fertur. Memorant Cretenses, quo tempore Curetes vivebant, Titanes quoque extitisse. — Hi Eleocretes a regina Creta dicti. — His multis post seculis Pelasgi supervenerunt, gens propter continuum bellandi morem, et e sedibus pristinis emigrationem, vagabunda et errans; et

quamdam insulae partem, ubi appulerant, obtinuerunt. Tertii, qui in Cretam immigrarunt, Dores sunt, quorum Dux Tectamus, Dori filius; is maximam coloniae partem, ex vicinis Olympo locis, partem etiam aliquam ex Achaeis, Laconiae incolas, cum Dorus scilicet e Maleae vicinia expeditionis initium fecisset, collegisse fertur. Quartum hominum genus ex promiscuis undique Barbaris (non Graecis) in Creta confluxit. Qui tamen progressu temporis eandem, quam ceteri ibi nati usurpant, linguam assumserunt. Post, quum Minois et Rhadamanhti potentia invaluisset, omnes hae gentes in unam communionem sunt redactae. Ad extremum, quum post Heraclidarum reditum Argivi et Spartani coloniis mittendis operam darent; tum alias insulas frequentarunt, tum etiam in his suae ditionis aquisitis, urbes nonnullas condiderunt.“ Lib. c. cap. LXXX. Nec apud Cretentenses proin ullum seu Partho.-Scytharum, Philisthaeorum, seu Gergesaeorum, Jebusaeorum, Čananaeorum etc. vestigium.

VI. Etymologia Horvátiana.

§. 51. Omnis Scriptori nostro in vocum Etymis fides et auctoritas: nullus enim Historicorum seu Philisthaeos = Pelasgis = Partho- Scythis seu Georgio - Scythas = Magyaris testatur. Quam anceps et precaria sit via veritatis Etymologia, ni monumentorum fulciatur suffragiis, et res ipsa et complurium error, affatim docent. „Molestus labor est nominum reddere Etymon, quae aut casus invenit, aut sine ulla ratione imposuit“, recte monet Andr. Bel Geogr. Tom. III. p. 166. An non Casp. Simoni Franco Etymi vir-

tute Parthi in Germanos abierunt? „Cum Parthi Scythicae, seu ut Jornandes de reb. Get. c. 6. specialius exprimit, Gothicae, hoc est germanicae, sint originis, a vero non abludere videtur Amici mei veteris Casp. Simonis Franci, linguarum et politioris literaturae scientissimi, conjectura, dictos Parthos, quasi die Fahrter, sive Farende, hoc est vagabundos, errones, non inusitata literarum p. et f. commutatione. Quomodo dicimus, die fahrende Schuler. Affinis eidem originationi vox Hispanica Faranduler o. Certe minus absurdum hoc etymon, quam commentitium illud Graecorum: Parthos dictos esse ἀπο τȣ̃ πορϑειν", quod vastando omnia perdant. Habuit autem Parthica lingua multa communia cum Germanica. Vide Reinecii P. III. p. 213. m. Bernec."

§. 52. His nequaquam cautior factus Scriptor noster, studio etymologico suo plenissima laxavit froena: Philisthaei ac Pelasgi vi Etymi iidem, qui Parthi, ait. Ast Parthos voce scythica esse exules, seditiosos, Justini auctoritas et ipsorum Historia, jubent nos quidem concedere; an ideo Philisthaei, ac Pelasgi etiam iidem, qui Parthi? Palasch aut Pelesch, quod Philologorum recentiorum auctoritate urget, iidem ac emigrantes, peregrini, egressi, lingua aethiopica; an ideo etiam Philisthaei a Parthis orti? Quod Interpretes Palaestini, *Ἀλλοφιλοι*, alienigenae reddunt, in fonte Hebraeo constanter legitur Philisthiim, vel Felisthym: quod perinde generatione egressos, non exules, non Parthos, videtur significare, sicut Mesraim, Ludim, Aramim etc. „At vero Mezraim genuit Ludim et Anamim, et Laabim, et Nephraim, et Fetrusim et Chasluim, de quibus egressi sunt Phili-

stiim et Caphtorim." Gen. 10, 13—14. Et quia non a Canaan erant geniti, vocati αλλοφιλοι, alienigenae. Sed quidquid horum sit, Philisthiim certe non erant Parthi, utpote tam a Philistinis, quam ab αλλοφιλοις distincti Act. 2. c. 9. Certius Pelasgos nec a Parthis, nec a Philisthaeis ortos fuisse; sed a Pelasgo, sicut Danaos a Danao, Hellenes a Hellene: Strabo l. V. p. 221. ait: „Ephoro, ut Pelasgos ex Arcadia diceret, auctor fuit Hesiodus dicens:

Licaone natos,
Quem quondam fertur clarus genuisse Pelasgus.

Pelasgi vero natales edisseruit Diodorus Sic. (lib. IV. c. LXXII.): „Oceanus et Thetys, ut fabulae quidem dictitant, tum alios complures dederunt natos fluviorum nominibus celebres, tum etiam Peneum et Asopum. Penei sedes fuit regio, quae nunc Thessalia vocatur, qui fluvium illum nomine nobilitavit. Asopus Phliunte habitans, Metropem, Cadmonis filiam, uxorem habuit, quae duos ei filios peperit, Pelasgum et Ismeneum." Sed etiam si etymon vocis Pelasgi spectemus, graeca illa est origine, non Aethiopica: πέλας enim tantumdem est ac vicinus; eratque Thessalia, ex qua Pelasgi venerant, vicina. Qui Atticam coluerant a colore faciei dicti Pelargi: πελος enim = niger, et ἀργος = albus.

Audiamus de Pelasgis exteros etiam recentiores: „Pausanias erzählt (VIII. 1. 4. 5.): dass die Arkadier behaupteten, Pelasgus sey in ihrem Lande geboren. — Nicht bloss in Arkadien, sondern auch in Argos (Apollod. III. 8. 1. Stephanus Bizantinus sub voce πελαςγος) erscheint ein alter König Pelasgos. Aber nicht einmal Argos können wir als die eigentliche Heimat der Pelasger gelten lassen; denn auch die Pelasger zogen aus Thessalien, welches die Wiege der gesammten

griechischen Bevölkerung war, nach dem Peloponesus. Desshalb hat auch Thessalien seinen Pelasgus (Diodor. Halicarn. I. 171. Schol. Apoll. Rhod. T. III. 1089.) Homerus führt die Pelasger nicht bloss unter den Hellenen auf (Il. II. 655), sondern er nennt auch den Zeus zu Dodonna, den Götterkönig der Hellenen, den Pelasgischen (Il. XVI. 234.). — Wir vermuthen, dass vornehmlich Herodotus in der Annahme, als seyen die Pelasger keine Griechen gewesen, Veranlassung gegeben. — Allein seine Ansicht enthält nach unsrer Meinung zwei Irrthümer etc." Geschichte des trojanischen Krieges von Unschold. Stuttgard, 1836. in 8. p. 199—203.

§. 53. Jones tantumdem esse a τοξοτες, seu Jazyges et Amorrhaeos, error summus est Scriptoris Etymologicus: cuique enim lingua Graeca leviter tincto, constat: Sagittam, missile, jaculum esse Graecis; *Ιος*, *Ιου*; Jones vero scribi constanter *Ιωνες*, *Ιωνια*, *Ιων*, nomen contractum ex Javan, qui fuit ipsorum protoplastes, filius Japhet. Gen. 9, 2. „ex Javane vero Jonia (*Ιωνια*) totumque Graecorum genus" inquit Jos. Flav. antiq. Judaic l. I. c. VII. Jones proin, Jazyges Scythas, Amorrhaeos, Cananaeos, Philisthaeos, eosdem esse, versis in Graecum nominibus, commentum Scriptore dignum est.

§. 54. Magyaros eosdem esse cum Georgiis, Aratoribus Scythis ac Gergesaeis terrae Canaan, error non minus abnormis est etymologicus: nec enim nomen Mager ex Mag — semen, et er — producens, recte deducitur: producens enim vi nativae linguae geneseos est: ász et ész, uti: halász, vadász, kertész, méhész etc. deberet proin sonare: Mag-ász vel Mog-ész: Er producens est in theutonico idiomate: Bau-er, Schust-er, Gartner etc. — Cumque vocabulum Mager communi

omesticorum traditione sufragante §. 2. a Ma-
ɜr, Magog filio, deduci queat; ad etymon vocis
fundate recurritur. Si arbitrio locus: a fluvio
er Scythiae, aut a Gerr populo quodam, eodem
re repeti potest; quod tentatum quoque jam
t. Si Hungari eo, quod araverint, jam Scythae
ɜorgii, tum omnes gentes, qui ararunt, totus
undus in Scythas Georgios redibit. Omnes gen-
s Cananeae ararunt, omnesque Philisthaei; quo-
odo ergo soli Gergesaei Scythae Georgii ac Ma-
ari?

Si radicem vocis Mager ex Mag et ere, quaesivisset linguae ac literaturae Patriae supplens professor, aliquid Philologo dignum erat dicturus; significat enim er Mandschu-Turcis, Mongolis ere, virum; v. Scholtium l. c. p. 16. „Az ér-er-ár-ba kimenő szókban az utolsó r' nyilván a' gyökér szóhoz tartozandó: Pazér, szekér, siker, cseber, ökör (és igy Mager) szók, ne szakasztassanak azért igy meg: Paz-ér, Szek-ér, Sik-er, cseb-er, ök-ör, Mag-er. — Ezen szókban az r nyilván a' gyökér szókhoz tartozik. — 'S a' Magyar igék participiumának jele tulajdonképen a' v (vav) látv, látva, látván. A' v a' napkeleti nyelvekben szokott, mint mondják, nyugodni az ó-ban, vagy ő-ben; innen ebből: látv, lesz látó; festv, lesz festő. Viszont a' v vissza jő, ha nyugvó állapottya változik és ebből ölő, lesz ölv." Ita veri nominis Philologus: Lásd Tudományos Gyüjt. IX, kötet. 1836. l. 11, 8. Participium proin erő, in vocabulo Mag-er, Horváthianum est simile isti = esztendő (annus), quod Cl. Michaël Kovács ad fabulam usque revicit. V. Hasznos Mulatságok 1833. nro. 43. pag. 333. Non oportuisset quippe Stephanum Horvát se in Philologiam linguae Hungaricae ingerere, linguarum orientalium expertem.

§. 55. Macareum insularum Rhodi, Lesbos,
ɪs etc., id est felicis, nomen ab incolis Magya-
ɪ repetere, et contra vocis etymon et contra
lem Historicam est: nomen enim insulae Maka-

rion, gentis vero *Μαγαροι*, aut *Μαδιαροι*, Graecis est apud Arrianum, et Scymnum-Chios, a Scriptore identidem laudatos: inter *Μακάρων* autem et *Μαγαροι*, linguae peritis discrimen est. Compellationis hujus rationem reddidit Diodorus Sicul. lib. V. c. LXXXII. „Bonorum copia in causa fuit ut beatorum insulae nominatae sint. Quidam tamen a Macarei et Jonis, dominantium ibi filiis, Macarias vocitari autumant. Et profecto felicitate eminent hae insulae prae vicinis locis, non priscis tantum aetatibus, sed etiam nostra. Cum enim benignitate terrae, locorumque opportunitate, ac salubri aëris temperie excellant, non abs re vocantur felices ac beatae. Macareus denique Lesbi rex primam sancivit legem, quae multa reipublicae utilia continebat, eamque leonem, a potentia et robore hujus bestiae, appellavit:"

§. 56. Cananaeos ac Chunos a Chan, quod orientalibus regem dicit, Scythas regios, Basilaeos factos esse, improbandum non absimiliter est: an non enim certa adest nominis Cananaeorum origo a Canaan filio Chami? „Filii autem Cham, Chus et Mezraim, et Phut et Canaan. Chanaan autem genuit Sidonem etc. Post haec disseminati sunt populi Chananaeorum." Genes. 10, 6. 15—18. Nec genuina nomenclationis Chun seu Hun, deest, ab altero Magogi filio: „Rex duos filios Hunor et Magor ex Eneth sua conjuge generavit, a quibus Huni seu Hungari sunt exorti." Simon de Keza §. 2. „Magog, filius Japhet, ex conjuge sua Eneth genuit Hunor et Magor, a quibus Huni et Magyari generati et denominati fuerant." Chronicon Thur. P. I. cap. II. Hoc antiquitati admodum consentaneum: gentium enim aliarum etiam

primitus a protoparentibus indita nomina. Cf. Jos. Flav. antiq. Jud. lib. I. cap. VII. Herodotum, Diodorum Siculum et alios. Tum an non stirpes Canaan siugulae suismet subditi fuerant regibus? quomodo ergo soli Chananaei regii? An soli Chuni regibus suberant, non etiam Massagetae, Sacae, Chazari? cur ergo et hi non Chuni?

§. 57. Neque seu Partheni Chersonesi Tauricae sen Parthenii Arcades, seu Partheniae Tarentini etc. a Partho-Scythis recte deducuntur: nominum quippe horum derivatio Historicae repugnat veritati: Parthenis Chersoneis Parthenos, Staphili filia, ab Appolline servata, ac Bubasti dicatis virginibus culta, nomen dedit. Diod. Sic. lib. V. cap. LXII. Parthenii vero Argivi a Parthenio monte, Auges, Alcontis filiae, salute celebri, videntur nomen sortiti. Idem lib. IV. c. XXXIII. Partheniarum in Tyrrheno, Epiro etc. disseminatorum ortus vulgaris omnino est, eodem Diodoro referente: „Postquam Teleclus, rex Lacedaemoniorum, in acie cecidisset, Spartani Messenios debellarunt. Bellum hoc ad XX annos protractum fuisse memoratur: ubi non prius se reversuros, quam Messenen expugnassent, Lacedaemonii sacramento se adstrinxerant. Qua tempestate, qui Parteniae nominantur, nati, Tarentinorum urbem possederunt.“ Partho-Scythae nunquam seu insulam Chersonesi, seu Graeciae regiones, sive Dyrrachii, Parthenópolisque urbes attigisse, noscuntur.

§. 58. Haec quidem erronea, quae sequuntur Scriptoris ludicra, quin temeraria quoque: populorum singuli, quicunque gentibus Scythicis, diversis idiomatibus parinomes aut pariformes, Scy-

thae-Parthici esse jubentur: 1.) Georgii = Juhrii, Corasmii, Gepidae, Agriaspae, Campestres, Campani, Angerii, Angerlangi, Aglandi, Aeglandi, Angriani, Angariani, Ungariani, Ungri, Ungari; = Maceri, Machari, Mocheri, Mazari, Magarsides, Mazaei, Macii, Macarones, Macres, Mazacae, Mazagae, Masaces, Masaei, Matyges etc.: accedunt enim ad Magyaros. — 2.) Regii = Basilaei, Barselii, Berselii, Sacae, Sachae, Sakkae, Sagae, ab Arabibus dicti Kazari, Kozari, Kosri, Gazaei, Gaziuri, Gazaces, Gazei, Al-Kaziri, Akaziri; accedunt ad Kazar, quod = Caesar. = Cananaei, Chuni, Chumani, Cumanni, Commani, Mar-Comani, Kymenii, Cymmerii, Comini etc.: accedunt ad Cunos, qui Scythae regii. — 3.) Sagittarii: Τοξόται, Jazyges, Jassi, Jassaei, Jasones, serius Janimitae, Amorrhaei, ac Jones; tum: Pan-jones, Pajones, Paeones, Pannones: accedunt enim ad Jones, qui Scythae sagitarii. — 4.) Uzi = Jebusaei, Husi, Hosi, Usi, Azi, Osi, Oxi, Asi, Asii, Ausi, Ausones, item Anda-l-usii, L'-Uzitani, Ulissoboni: accedunt enim ad Uzos, qui Partho-Scythae. — 5.) Sabaei = Soba-Mogeri, tum Sabini, Samnites: a Sabaeis Arabiae, genere Hungaris, cognominati. — 6.) Vali = Ost-fali, Vest-fali Germaniae; Nahar-fali (Scanziae), Taj-fali, Taj-Vali, Galliae, Volcae in Italia. — 7.) Hyppomolgi = Lófeő, Szekeli; tum Siculi, Sicilides: accedunt enim ad Székelos. — 8.) Enarees = Laestrigones Italiae, Plancii Graeciae, Placii, Plaucii, Poloniae, Paloczones Hungariae: omnes enim Spoliatores. — 9.) Bisseni = Piceni Italiae, Peuci Pannoniae, Paci-

nacitae Daciae etc. p. 5—38. 44. — Omne nimium vertitur in vitium.

§. 59. Restat, ut et Thuringi ac Saxones in coetum Scythico-Parthorum et Hungaris Agnatorum, cogantur; et hoc quidem argumentis jam Historicis: „Sed quia Gygans Nemroth, uxores alias sine Eneth perhibetur habuisse, ex quibus absque Hunor et Mogor plures filios et filias generavit. Hi sui filii et eorum posteritas Perside inhabitant regionem, statura et colore Hunis similes, tantummodo parum differunt in loquela, sicut Saxones et Thuringi.“ Simon itaque Keza adhuc idioma Saxonicum et Thuringium Ungaricae linguae dialectum confessus est, sicut Persiae oras incolentium Magyarorum. Ideo etiam in Saxonum Transilvanorum sigillo legitur: Sig. Nationis Saxonice, Rom Nemzet Bolái. En ipsi Saxones alieno se nomine compellárunt.“ op. c. p. 55—56. Solito sibi sophismate fallit Scriptor: nec enim Simon de Keza Saxones ac Thuringos congenerationales fecit Hunnorum et Magyarorum; sed reliquas cognatas Memrodi progenies in Perside ita duntaxat differre dialecto a Hungaris et Hunnis, quemadmodum Saxones ac Thuringi ab invicem distant. Neque Saxones Transilvaniae alieno se unquam vocitarunt nomine; sed Scriptor sigillum ipsorum male legit, pejus interpretatus est: Trium nationum Transilvaniae sigillum erat trifariam divisum (sicut condam Comitatus Ugocsa pro numero Judicum Nobilium quadrifariam: Ugo-csa vár-megye.) Ex illo obtigit Szekelyiis: Sigillum Nationis Siculicae, cum parte inscriptionis Hungaricae: Lo Erdeli Orszagae Há; Saxonibus vero: Sigillum Nationis Saxoniae, cum continuatione: Rom.

Nemzetböl ál." Saxones Transilvani se origine Teutones professi sunt semper: „Die gemeinen Saxen nennen sich selbst häufig Datschen, d. i. Deutsche, — heissen Sachsen, Saxones, weil die Ungarn, so wie die Finnen, alle Deutschen Sachsen in jenen ältesten Zeiten nannten." L. J. Marienburg. Geogr. d. Grossfürst. Siebenbürgen. I. Bd. p. 171 et 145.

Saxonum nostratium originem habemus exploratam testimonio Meginhardi, qui Historiae de Translatione S. Alexandri, S. Felicitatis filii, Wildeshusam cap. l. ait: „Saxonum gens, sicut tradit antiquitas, ab Anglis, Britanniae incolis, egressa per oceanum navigans Germaniae litoribus studio et necessitate quaerendarum sedium appulsa est in loco, qui vocatur Haduloha, eo tempore, quo Thiotricus, rex Francorum, contra Irminfridum, generum suum, Ducem Thuringorum, dimicans terram eorum crudeliter ferro vastavit et igni. Et cum jam duobus praeliis ancipiti pugna, incertaque victoria, miserabili suorum caede decertassent, Thiotricus spe vincendi frustratus, misit legatos ad Saxones, quorum Dux erat Hadugoto. Audivit enim causam adventus eorum, promissisque pro victoria habitandi sedibus, conduxit eos in adjutorium; quibus secum quasi jam pro libertate et patria dimicantibus, superavit adversarios, vastatisque indigenis et ad internecionem poene deletis, terram eorum juxta pollicitationem suam victoribus delegavit. Qui eam sorte dividentes, cum multi ex eis in bello cecidissent, et pro rarietate eorum tota ab eis occupari non potuit, partem illius, et eam, quam maxime, quae respicit orientem, colonis tradebant singuli pro sorte sua sub tributo exercendam. Cetera vero loca ipsi possiderunt. A meridie quidem Francos habentes et partem Thuringorum, quos praecedens hostilis turbo non tetigit et alveo fluminis Unstrotae derimuntur. A Septemtrione vero Nordmannos, gentes ferocissimas. Ab ortu autem solis Obodritos et ab occasu Friseos." Haec est Saxonia nova.

Ne ullum superet dubium Saxones, non Hungaricum, sed Teutonicum locutos fuisse idioma, audiamus Joannem de Essendia Historiae Conversionis Saxonum p. 24—25. dicentem: „Et notandum: Dispergum oppidum, quod usque hodie et scribitur Duesborch, situm fuit in finibus Thuringorum: ex quibus verisimiliter trahitur, quod circa Renum Rura aqua distinxit inter Saxones, sive Westualos et Thuringos, sicut nunc inter Teramontem, qui tunc Thuringorum fuit, et intra Markense distinguit. Quod ex idiomate patere videtur; nam plus cum Coloniensibus et Thuringis conveniunt in doctrina loquendi Theutonicum, quam cum propinquioribus ex opposito trans Ruram Westphalis positis. — Intra Embricam ergo versus aquilonem et Duesberch sive Dispergum versus Austrum Saxonia antiqua, quae nunc Westualia dicitur, litus Reni tenet; nova Saxonia sive Ostualia ultra Weserum usque ad Albiam protenditur. De hujus Saxoniae conversione, narraturus exordior."

In eo fallitur lectissimus Scriptor noster, dum Quirites Romanos, Julium Caesarem etc. Comatos (üstökös) consanguineos nostros facit; sententia enim Virorum Doctissimorum nomen Curetum Quiritum Romanorum a Cures, Sabinorum metropoli, est repetendum: „Cures- ium, Flor. 1, 2; Ovid. Fast. II. v. 135; Virgil. Aen. VI. v. 811. Festus Pomp.; Cicero; Propertius IV. eleg. 10. Cures Sabinae- arum Jornand. de regn. success. p. 15. *Κυρεις* plur. Dionys. Halic. II. p. 113. *Κυρὶς μετροπολις Σαβινων*, Stephan. Strabo V. p. 158. Stadt in Sabina, östlich von der Tyber, etwa XV. M. P. nordöstlich von Fidenae, XVI. südwestlich von Reate, sec. Holsten in unseren Tagen Correze, Cureze, Dorf; — Geburtsort des Titus Tatius und Numa Pompilius. *Τιτος Τατιος και Νουμας Πομπιλιος* Strabo l. c. Curensis- e, Ovid. *Κουριτης* Stephanus, Curetes Propert. Curenses Plinius III. 12. Daher Quirites, Prisci Quirites, romani cives. Virgilius. Liv. I. 13." V. Vergleichendes Wörterbuch der Geographie von Bischof und Möller, 1829. art. Cures. — Non Curetes Cretensium, sed Opscos, Ausones, Sabinos, ac Oenotros fuisse Incolarum Italiae Autochtones, perinde evictum: V. F. G. G. H. Curtium. Grifs. A. 1829. Cf. Nieburg's Untersuchungen über die Ethno-

graphie des alten Italiens. 1835. Auctoritate horum necessitor virorum tam masculae virtutis congenerationem Hungaricam scriptori abrogare.

Dolendum nimiopere, quod lectissimus scriptor noster in amplissima sua Bibliotheca chorographiam et historiam urbis Viennensis non numeret; aut non legerit! Percepturus ex ea (v. §. 2. in adn.) fuerat, etiam Celtas, Gallos, quin est omnes Barbaros — emigrantes, Parthos, allophilos esse; Suevos, Vandalos — vagos Pelasgos; Cimbros spoliatores, Enarrees, Paloczios: quantus inde Partho-Scythas, Philisthaeos, Pelasgos, Hungarorum congenerationales, multiplicandi proventus!! — Addamus: Thraces = emigrantes — Philistym — Pelasgi — Scythae — Parthi (Herod. I. 28. II. 103. III. 90. IV. 74. 94. VII. 75. 185. Strabo VII. Livius XXXVIII. 40. 46. XLI. 53. Tacit. Ann. IV. 46. 48. Mela II. 2. Plin. IV. 1. etc.); Triballorum, Odrysiorum, Maesorum, Mysiorum, Getarum etc. stipites: quantus hinc etiam progeniem hungaricam amplificandi titulus etc.!!

§. 60. Quid ni et totum orbem terrarum Hungaris repleri? Hoc quidem Scriptoris nostri virtute percommodum: mirari se ait, neminem ante se codicem sacrum, mappasque orbis universi, Hungaricis refertas nominibus, observasse: Árphaxad = Árpad, Arrhadius = Arad, Babel, Babylonia (in Sennaar campo Nubiae?!) = Bábolna, Cyros = Koros, Darius, Darietum = Dara, Hala = Halas, Ilium = Ilona, Saron = Sáros, Samos-Saru = Szamos; Temesia et Temmelisus = Temes, Sabaei = Soba Magyar, Tychiusa = Tihan. Omnes in Asia minore p. 16. In Aegypto: Knep, Canopus = Kan-Ap, Kán-Ap, Kán-Apus p. 24. Hierosolymis: Babelmogarbeh, Bal-el-Moger-beh = ad arcem Hungaram ducens porta. In Africa: Macarius Paries = a Hungaris constructus p. 20 etc. etc. — Nobis vero convenientia vocum nonnullarum identitatem gentium neutiquam con-

ficit: „Nur das Verhältniss der gesammten Anzahl der Stammwörter, als die Grundlage einer jeden Sprache, kann den Grad der Verwandtschaft einer Sprache mit der andern und ihre Abstammung bestimmen." Göttinger gelehrte Anzeigen Nro. 144. Cf. Synonymisches Handwörterbuch der latein. Sprache. 8. Lipsiae, 1836.

Hoc argumento Horvátiano, aborigines Hungarorum fuisse Slavos, Graecos, Latinos, Hebraeos, Germanos etc., quorum vocibus abundamus, confici posset; quin et omnis ferme idiomatis proprietas nostris abjudicari; quem admodum idem Steph. Horvát Teutonum protoparentes fuisse mutos evicit, eo quod gens quaedem in Africa merces venui exposuerit innuendo solum: deut — deuten = mutus = néma; hinc Németek-Némethones in oris Rheni superioris. Q. e. d. Hoc in Tudom. Gyüjt. ejus h. t. Redactor.

§. 61. Quam insigniter fallat etiam, quod est ad Valos, Horvátius noster, testis sit praelaudatus Historiae Conversionis Saxonum Auctor: qui p. 43 dicit: „De Westphalia nota: quod aliquando dicit Gregorius, West-Saxones aliquando Westfalaos, aliquando Westualuos. Idem sunt omnia dicta nomina quoad significatum, et dicunt Westsocii, sicut illi trans Weseram ab eodem Gregorio vocantur expresse Hustfalai infra anno 780, id est Ostfalai, scilicet Ostsocii; sicut alii respectu alterius in oriente et occidente situantur, ut nihilominus semper socii fuerunt, et fecerunt unam Saxoniam." Editor Joan. Chr. Scheidt notat: „Et sane Fellow veteribus Saxonibus socium dictum, hodie retinent Angli: vide Eduard. Lluyd in Archaeologia Britannica pag. 151. et Henric. Spellmann in Archaeologo sub voce Felagus p. 252. — Summus Leibnitzius, cui haec derivatio nominis Westfalorum es Ostfalorum mirum in mo-

dum arrisit, Wallos, etiam Wallones, ab eadem origine dictos conjecturatur."

Ludit etiam, quum Hungariae coaequat Angariam, de qua idem Conversionis Saxonum Historicus ait: „Rex Carolus dein Angariam, id est Engére, cepit prius obsidione vallatam, et erat caput totius Westphaliae, ut infra dicetur, et tunc omnes Saxones occidentales, paucis relictis, Christianos fecit." p. 50. Item: „Wedichindus, fidelis christianus, obiit VII. Idus Januarii, et sepultus est in choro canonicorum regularium in villa Angaria, scilicet in Angaria, quae erat principale castrum totius Westfaliae, tunc Saxoniae" p. 54.

Marcomannis e Suevia, Germaniae provincia, egressis, ac subin illius frontem orientem versus obsidentibus, nec idioma nec sedes cum Cumanis fuerat communis; ut alios taceam, Hrabanum Maurum de inventione literarum audiamus: „Literas, quibus utuntur Marcomanni, quos nunc Nordmannos vocamus, infra scriptas habemus, a quibus originem trahunt, qui Theodiscum loquuntur." Satine? Alios vide in ortu Eqiscopatus Nitriensis.

Nec Siculiae (Székelység) ac Siculis (Székelyek) nostratibus cum Sicilia et Sicilianis Italiae, quidpiam commune: antiquissimum hujus nomen Σεχελια, Scyl. in Hudson. G. M. I. 4. 55. 56. Polyb. 1, 42 etc. Strabo VI. Stephan. Bizant. v. 599. etc. Latinis hinc Sicilia: Tacit. Ann. IV. 13 etc. Mela II. 7. III. 6. Plinius II. 85 sqq. Vocis vero Σεκελια radix est Szakl (Szakl (Samechkel) Zsidó nyelvben köves, kőszirtes, kősziklás helyekről mondatik: Tudom. Gyüjt. 1836. IX. kötet. 11. l.) Sici-

lia proin qua petrosa est primitus Σικελια denominata. Indigenae ejus secundum fabulas: Cyclopes et Laestrigones, juxta notitiam Historicam, Sicani et Iberi, et Ausones per Pelasgos Italia pulsi. Mox et Phoenicii, Graeci, Carthaginenses ac Romani. V. Herod. VII. 170. Thucyd. VI. 2. Dionys. Hali. I. Diod. Sic. V. 6. Strabonem VI. Plin. III. 8. etc. Nostra ex adverso Siculia (Székelység) tantumdem est ac Marchionatus; Siculi (Székelyek) = Circatores: Lippis et tonsoribus jam notum. Siculi Transilvaniae ortum suum ab Hunnis, Cabaris aut Atilanis ne? continua traditione repetunt.

Parthorum nomen est supremum culminationis Horvátianae punctum; detonat illud paginis 65 et seqq. secundumque Rheginonem et alios cum Hungarico idem facit. Ast majores quidem nostros, vocabulo fors Sabartoeasphalorum (Const. Porphy. de adm. Imp. XXXVIII.) populos Parthici imperii, secundum Plinium duodeviginti regna complexi, fuisse cum Hunis occidentalibus, mihi quidem nullum videtur dubium; ast inde Parthicum imperium Hungaricum fuisse, tam parum sequitur, quam Imperium Austriacum Hungariae regnum esse. Nec Parthi olim et Hungari iidem, sicut Hungari et Croatae iidem non sunt. In armis, moribus, arte bellandi atque institutis nonnullis Parthis quidem et primaevis Hungaris, sicut Hunnis et Avaribus, conveniebat, ideoque nomina haec viceversa sunt ab exteris usurpata; ast non in pluribus; audiamus Justinum lib. XLI. „Exercitum, non ut aliae gentes, liberorum, sed majorem servorum partem habent. Quorum vulgus, nulli manumittendi potestate permissa, ac per hoc omnibus servis nascentibus, in dies crescit. Hos

pari ac liberos suos cura habent. Antonio bellum Parthis inferenti, quum quinquaginta millia equitum occurrerent, soli CCCC. liberi fuere. — — Uxores dulcedine variae libidinis singuli plures habent. Foeminis non convivia tantum virorum, verum etiam conspectum interdicunt. — Sepultura vulgo aut avium aut canum laniatus est. Nuda demum ossa terra obruunt. — In superstitionibus atque cura Deorum praecipua omnibus veneratio est. Ingenia genti tumida, seditiosa, fraudulenta, procacia: quippe violentiam viris, mansuetudinem mulieribus assignant. — Principibus metu, non pudore parent. — In libidinem projecti, fides dictis promissisque nulla, nisi quatenus expedit." In venerem adeo fuerant proclives, ut sororibus, matribusque miscerentur: Tertulliano teste. Furta apud illos impunita erant. — Ab infantia pileis et tiaris utebantur, unde capita illis fragilia. Temulentiae notati; unde proverbium: Parthi, quo plus bibunt, eo plus sitiunt." Ph. Cluverius Introd. in Geogr. Parthia. Parthorum vestitus Medornm similis. Rex eorum Arsaces אשר, Aschi, in Tarich Sicardi, non Arság. Quibus spectatis, quis Parthos cum Magyaris eosdem, nisi temere, dicat!

Nec de Hunis Hyperboraeis p, 83. auctore Saxone Anonymo vel Adamo Bremensi etc. certum: factis enim ante religionis christianae auspicia (sub Paschali I. R. Pontifice a. Chr. 817.) fidem ipsimet Suecorum Critici abrogant: „De monumentis ex ipso, cujus Historia scribenda est, aevo conquirendis fideli Historico sollicitam curam incumbere nemo dubitat. — Historia septemtrionalis antiquissima, hoc est: temporis mythici, hisce destituta fundamentis et traditionibus innixa vagis, ideoque incertis involuta fabulis, Historiae nomen vix tuetur. A seculo, quo acta literis consignari coeperunt, Historiae nostrae et gentium reliquarum lux affulsit." Ita „Apparatus ad Hi-

storiam Sueo-Gothicam auctor, Magnus a Celse. Holmiae 1782 in 4. In praefatione. — De nominum Philisthaei ac Jazygis domi nostrae abusu, vide: De avitis Magyarorum, Chunorum, Jasonumque nostratium sedibus et initiis.

§. 62. Illo denique argumento educit primores nostros ex Chorasmia, quia Chaba, filius Attilae regis, Chorasmiorum filiam duxerat uxorem, inde proin natu secundus Edemen cum progenie sua Hungariam petiit p. 54. Nos vero, ut alias, nec nunc pudet confiteri, primaevas majorum sedes, sub varietate nominum, ignorare; Heraclio Imperante primum novisse: „Ugri albi imperante Heraclio, qui adversus Chosroem, Persarum regem, bellum gerebat (a. Ch. 618) innotescere coeperunt", ait Nestor Scriptorum Russiae Princeps edit. Schlötzer pag. 41. Sedis eorum documenta sunt rudera, quae visuntur, urbis Magyar: „Ubi fluvius Cuma amnem Bytumam recipit, etiam num urbis rudera visuntur, quam incolae Madsar, hoc est Magyar, nominant. Vetus illic Hungarorum sedes." Coll. rerum Russicarum Tom. IV. p. 22. 154. Cf. G. Büsching Geog. Magazin III. Bd. p. 359. Klaproth Reisen in den Kaukasus 1, 434. „Magyari olim degebant in planis sub Caucasiis montibus ad Septemtrionem." Coll. rer. Russ. T. IV. p. 152. Eorsum collocat etiam Geographus Anonymus Mos. Chorenen. p. 356. — Sedes has a Saracenis arctati transtulerunt an. circiter 675 in regionem inter fluvios Volga et Ural sitam: „Sciendum, inquit Constantinus Porphyrogeneta: Pacinatas ad Atel et Geich flumina habitasse; iisque conterminos fuisse populos illos, qui Mazari atque Uzi cognominantur." De adm. Imp. c. XXXVIII. Tum Abulgazus, de Kibgjak agens, in haec verba

ait: „Huic, postquam adolevit, Ogus copias tradidit, ut et Rusch, et Olack, et Magyar, et Baskir, qui juxta Tin (Tanaim), Atel (Volgam) et Jaik (Ural) colebant, debellaret.“ Cf. Bayer geogr. Russ. p. 385. Consentit traditio Domesticorum: „Anno Dominicae Incarnationis DCCCLXXXVIII. sicut in annalibus continetur Chronicis, septem principales personae, qui Hetumoger vocantur, egressi sunt de terra Scythica versus occidentem. Inter quos Almus dux, filius Ugeg, de genere Magog, una cum uxore et filio suo Arpad, nec non cum multitudine magna populorum, non numerata foederatorum, de eadem regione egressus est. Venientes autem dies plurimos per deserta loca et fluvium Etil, super Tulbou sedentes, ritu paganismo transnataverunt, et in Russiam, quae vocatur Susudal (Susdal) venerunt.“ Belae R. Notarius cap. VII. Sed vide: De avitis Magyarorum, Chunorum, Jasonum Hungariae accolarum sedibus et initiis. Budae, 1830.

Megaros in Sogdiana (Plin. lib. VI. cap. XX. Sinenses apud Topeltinum in Samarcand). Mazoranos in Aria (Ptolom. lib. VI. cap. 17. Tab. IX.), nostros fuisse aborigines, ultra conjecturae opinionem, vetustiorum monumentorum defectu, non exsurgit. Incerta haec origo, omnes nationes, praesertim orientales, manet: „Ganz Nordasien hat keine historische Denkmähler, und die beglaubigte Geschichte der Nor asiaten datirt aus einer sehr späten Periode. Sell die Sagen der Hochasiaten reichen nicht bis zur Ep che einer etwaigen grossen Völkerspaltung; und e der Perser Radschid Eddin, dem Ahul Jezir, der dtsc gataische Türke, nachschreibt, hat die Kühnheit, nen Stammvater anzunehmen, von welchen er M golen und Türken, als ursprüngliche, früh gese dene Brüdervölker herleiten will. Die genauern tizen der Chineser über das asiatische Hochland chen jedoch nicht viel über Christi Geburt.“ Sc

l. c. p. 2. — Vicinos Sinensium Protoparentes Magyarorum haud fuisse, cum inter nos nulla sit seu vocum, seu grammaticae, seu etiam morum affinitas, quae inter Turcos, Chunorum (Hiongnu) posteros apparet, ex adverso cum Fennis, Mongolibus, ac Tataris vicinos quondam convixisse, cum nobis multa sint communia, jure arguitur. Cf. Scholtium l. c. p. 7. Jos. Hammer in Poësi Turcica tom. I. praef. Spectatis ergo omnibus: in Lineamentis Horvátianis non unum ad veritatis amussim reperimus exactum, non inquam unum. Quod est ad forman: nullum in eis principium, nulla divisio, nullus nexus et ordo: nulla temporum consignatio, rectae Logices defectu. Finem denique vide p. 132. linea 7!!

§. 63. En claritatem, quam rebus patriis, Philologiae, Historiisque universis, affudit foetus Horvathianus! In partum annos duodecim necdum maturuit; sed si lucem conspexerit, Lucina favente, cui, ut dicam, in vitalitium vir bonus G. F. Provinciae Pestinensis Physicus, 15 millia florenorum addixerat — quis puer iste erit??! An non, quum in virum profecerit, lucis jubar toti explicabit orbi?? Et tum nulli ultra dubio locus, omnis controversiae fines??!! — „Hoc scriptum est tibi, qui, magna cum minaris, extricas nihil.“ Phaedrus lib. IV.

II.

De ortu et instauratione Nitriensis Episcopatus.

§. 1.

Inter res patrias, quarum primordia densis obsepta sunt tenebris, sedium nonnullarum episcopalium ortus quoque censendi monumentorum defectu sunt: in his ideo figendis absque culpa erratur, jure ambigitur, merito disputatur, ac non sine fructu inquiritur veritas.

§. 2. Episcopatûs Nitriensis, ejusque Praesulum memoriae, Posonii anno 1835 in forma octava editae, uti scientia, ita zelo insignis Auctor, a Samuelis Timon, Georgii Pray, Stephani Katona, Stephani item Salagi, optimae notae Historicorum, Criticorumque nostratium, sententia, quod est ad originem Episcopatus Nitriensis digressus, in partes Innocentii Deseritii, Martini Sz. Iványi, Nicolai Schmittii, Antoniique Gánoczii descivit, instaurationem vero ejusdem suomet subduxit calculo.

§. 3. Quaestionem hanc problematicam Historicorum domi nostrae attentione dignatus est nemo; quod eo dolendum magis, quo Auctoris lectissimi et mens veri studiosa et animus ab errore alienus, pluribus nitet indiciis; criticas haud

refugit observationes. Cetiora diligenti studio et opera consectatur. Causae hae mihi fuerant, animadversiones nonnullas, uberioris indaginis gratia: I.) Episcopatus Nitriensis ortum; II.) hujus instaurationem concernentes, in medium proferendi. Quibus compendio, quo fieri potest maximo, defungar.

Ingenuus auctor p. 5. §. 2. ait: „Dum apud Quados et Marcomannos, quorum hodie non alia, quam in Historiis memoria superest, incunabula Episcopatus Nitriensis perquirere aggredior; vereor, ne mihi contingat, quod plerisque eorum, qui Ecclesiae alicujus, praesertim pervetustae, origines scribunt. Vitio enim illis dari consuevit, cum monumenta deessent, illos conjecturis uti, ut institutionem suarum Ecclesiarum ad primae aetatis tempora referre, parentemque ac conditorem aliquem ex apostolis, aut viris apostolicis facere possint.“

I. Episcopatus Nitriensis origo.

§. 4. Author laudatus Nitriensis Episcopii primordia a Fritigil, Marcomannorum regina, non dubitat repetere, sequentibus rationum momentis: 1.) Certe verisimile est, facileque creditu, Fritigil reginam, postquam regem suum majoremque subditae gentis partem per se et opera virorum Apostolicorum, ad se missorum, aut Mediolano adductorum, ad fidem Christi adduxisset, eo curas, studiaque sua convertisse, ut apud gentem neoconversam religio ampliores agat radices, firma et stabilis persistat, hocque fine Episcopatus instituatur“ p. 16—17. — 2.) „Romanorum, Gepidarumque tempore Nitraviensis seu Nitriensis Episcopatus extitit, per Frigildam, Marcomannorum reginam, institutus“ p. 36. — 3.) „Pru-

denter dubitari non potest, huic et alteri per eam fundatae Episcopali sedi illos datos fuisse episcopos, qui a S. Ambrosio fidei Praecones in Marcomanniam missi, in conversione illius gentis felici cum successu operabantur; viri hi fuerant Fretella et Sunias nomine, ambo Discipuli S. Doctoris Ambrosii — Sunias Nitriensis constitutus.“ p. 26—27. — 4.) In hanc sententiam abierunt etiam Desericius, Sz. Ivanius, Schmittius ac Ganoczius, Scriptores nostrates perdocti.“ p. 42.

§. 5. Quod primum respicit argumentum, observanda nobis videntur: 1.) Quidquid certi de Fritigildae reginae ad fidem Christianam conversione nobis constat, Paulini Diaconi, S. Ambrosii Biographi, hisce verbis continetur: „Per idem tempus (circa annum Christi 396) Fritigil quaedam regina Marcomannorum, quum a quodam Christiano viro, qui ad illam forte ex Italiae partibus advenerat, referente sibi laudes et famam Christi viri (Ambrosii) credidit, cujus illum servulum recognoverat, missisque Mediolanum muneribus ad Ecclesiam per legatos postulavit, ut scriptis illius, qualiter credere deberet, informaretur. Ad quam ille epistolam fecit praeclaram in modum Catechismi, in qua etiam admonuit, ut suaderet viro, Romanis pacem servare; qua accepta epistola (quae inter Ambrosianas desideratur) suasit viro, ut cum populo suo se traderet Romanis.“ — His Fritigil accensa ad virum Dei invisendum Mediolanum festinavit; ast hunc neutiquam reperit superstitem: „Cum venisset Mediolanum, prosequitur Paulinus, plurimum doluit, quod sanctum sacerdotem, ad quem destinarat, minime repererisset: jam enim de hac luce migraverat.“

§. 6. Tantum de Fritigildae ad fidem conversione, ac zelo compertum nobis est: virum etiam suum Roremundum, cum majore populi parte, ad communionem christianam adduxisse, episcopatus fundasse, haud liquet; quin contrarium similius vero: nec enim Roremundus consilio reginae semet Romanis tradidit, et Marcomannorum regis ac regni sacra christiana amplexorum nullum in annalibus ecclesiasticis vestigium; fides apud illos ampliores agere radices, episcopatibus fundatis firmari, nequidem potuit: Huni enim hoc ipso tempore (ab anno 375) a faucibus Caucasiis effusi, regno Quadorum et Marcomannorum, atque Ecclesiis diram intulerant vastitatem: „Quidquid inter Alpes ,et Pireneum est, quidquid Oceano ac Rheno concluditur, — hostes Pannonii vastarunt", inquit Hieronymus Coaevus, ad an. Ch. 383. Sed confer Codicis Dipl. Tom. VII. Vol. I. numeros IX. X. XI.

§. 7. Sed auctor perdoctus Nitriensis Episcopatus a Fritigilda orti praesidium in duorum Pontificum et unius Archiepiscopi, literis quaerit: 1.) Eugenii II. Papae, ad Praesules ac Principes Avariae, ac Moraviae, verba sic sonant: „In quibus (partibus Vestris) quondam Romanorum quoque ac Gepidarum aetate, ut lectione certum est, in septem Episcoporum Parochias antecessores sui (Laureacenses Archiepiscopi) jure metropolitano obtinuerunt dioecesim." pag. 20. §. 5. Benedictus VII. PP. ad Episcopos Germaniae ita scripsit: „Sancta Lauriacensis Ecclesia inferioris Pannoniae ac Moesiae regiones, quarum provinciae sunt Avaria atque Moravia, in quibus septem Episcoporum Parochiae antiquis temporibus continebantur, sui-

que Antistites, Archiepiscoporum deinceps habeant potestatem.“ p. 35. §. 7. Piligrinus (Peregrinus) vero Lauriacensis Archiepiscopus jura sua ita reclamavit: „Quia et quondam Romanorum Gepidarumque tempore, proprios septem Antistites, eadem orientalis Pannonia habuit ét Moesia, meae sanctae Laureacensi, cui ego indignus ministro, Ecclesiae subjectos; quorum etiam quatuor usque dum Ungari regnum Bavariorum invaserunt, sicuti praesenti cognitum est aetati, in Moravia manserunt.“ p. 27. §. 6. Ex his infert laudatus Auctor: „Intelligimus non ex conjecturis, sed e lectione certum esse, in illis regionibus, ubi tempore Eugenii PP. Episcopi Favianensis, Speculo-Juliensis, Nitraviensis et Vetuariensis suas habebant Parochias seu Dioeceses, jam olim aetate Romanorum et Gepidarum fuisse septem episcopatus; — et quidquid de aliis sit, cum Marcomannia nonnisi sub Frigilda regina christicola esse coeperit, Episcopatum Nitriensem, velut ea aetate jam existentem, his indicari.“ p. 25. §. 5.

§. 8. Nos vero de authentia productarum literarum Papalium, quam clarissimus vir Josephus Dobrovsky, origine Hungarus, incolatu Bohemus, antiquitatis studio insignis, impugnaverat: in tabulario certe Vaticano non reperiuntur, suntque sine teste ac consule, in literis solum Laureacensium Archiepiscoporum fundatae (Cf. Wiener Jahrbücher der Lit. Vol. 52) seu de sedis Nitraviensis ac Nitriensis identitate, quam Doctissimus Alex. Rakovszki in suo manuscripto dubiam fecerat, litem serere nolentes, sequentia nonnisi arguimus: 1.) Unde constat laudato Auctori Nitriam in Marcomannorum ditione sitam

fuisse? Limites certe Quadorum et Marcomannorum confusi adeo sunt, ut certi quid nemini de iis affulserit. — 2.) Inter ecclesias illas, septem, quae Romanorum Gepidarumque temporibus floruerant, necesse ne est, Nitriensem censeri Cathedram? Certioribus argumentis fuerunt illae in Romanorum ac Gepidarum regionibus: 1.) Favianensis. 2.) Carnuntensis. 3.) Scarabantien. 4.) Sabariensis. 5.) Bregetiensis. 6.) Carpensis. 7.) Curtensis; quas eruderavit doctissimus Steph. Salagi de statu Ecclesiae Pannonicae lib. III. Moraviam nec Romani, nec Gepidae obsederant unquam: sed post Marcomannos et Quados Huni, post hos Rugii et Heruli, tum Avares. — 3.) Ex adductis Pontificum literis adeo non claret Nitriensis Ecclesiae vetustas, a Fritigil Marcomannorum regina petita, ut convellatur potius, ait quippe Eugenius II. PP. in causa Urolfi Lauriacensis A.-Episcopi: „Urolfus, sanctissimus frater noster, vester autem Pater, — qui per praedicationem suam adoptivos Deo vos genuit filios — novam Ecclesiam, nostris apostolicis benedictionibus informandam subinde commendavit.“ Si Ecclesia Nitriensis jam a Fritigildae reginae temporibus fuerat, quomodo nova? Tum: „Ad perfectam autem et necessariam eruditionis vestrae salutem, cum, ut comperimus, non sufficiant pauci, qui modo constituti sunt Episcopi.“ — Si Nitriensis, Speculo Juliensis ac Vetvariensis episcopatus jam Romanorum, ac Gepidarum aetate fuerant, quomodo, modo „constituti“? Literas Eugenii II. PP. Vid. Cod. Dipl. Tom. I. nr. 158.

§. 9. Ast urget Auctor: „Praeclarus Sunias tempore Hieronymi Nitriensis Episcopus.“ Hoc

quidem valeret, si sua constaret veritate; sed de Sunia, S. Hieronymi epistolâ anno post Ch. 403 data, tantillum comperimus: „Hieronymus Sunniae ac Fretellae. Vere in nobis Apostolicus et Propheticus sermo completus est: In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrarum verba eorum. Quis hoc crederet, ut barbara Getarum lingua hebraicam quaerat veritatem et dormientibus et contendentibus Graecis, ipsa Germania Spiritus sancti eloquia scrutaretur?!“ Atqui 1.) Si Sunias et Fretella episcopali viguissent dignitate, num honorem hunc eis non detulisset vir sanctus? Num admiraturus fuerat ipsos hebraicam quaerere veritatem??— 2.) Hieronymo Gethae in Germania fuerant Gothi, id temporis per Europam diffusi: „Docti omnes, inquit, Getharum nomine Gothos intelligunt.“ Quaest. Hebr. in Genesim. 3.) Etiamsi, concesserimus Suniam et Fretellam in Germania fuisse Episcopos, an inde sequitur ipsos Marcomannorum fuisse Episcopos, quos ille Getas appellat? — 4.) Fuerint ii Marcomannorum Episcopi, num ideo Sunias Nitriensis Episcopus? S. Severinus certe post mortem Atilae 453 Favianae (Viennae) Apostolus, nullum in partibus his, praeter Laurentium Lauriacensem, reperit Episcopum, rebus Ecclesiae supra modum turbatis: „Tempore, quo Attila, rex Hunnorum defunctus est, utraque Pannonia, ceteraque confinia Danubii, rebus turbabantur ambiguis.“ V. Eugippi Vita S. Severini cap. I. cf. c. IV. Fuerint proin Sunias et Fretella Gothi, de quibus Orosius I. 16. inquit: „Modo autem Gethae illi, qui et nunc Gothi, quos Alexander evitandos pronunciavit, relictis, vacuisque factis sedibus suis ac totis urbibus, toti Romanas

gressi sunt provincias." Cf. Procop. in exordio. ist. Geth.

Marcomannos, ut stirpis Germanicae, non Sclavicae dicamus, sequentia jubent Scriptorum testimonia: 1) Arrianus Nicomediensis ait: Harum (Germanicarum) nationum Istrum longissimum fluvium (a fontibus) incolentium, ac fortissimarum, extremi sunt: Quadi et Marcomanni; deinde Jazyges Sauromatarum pars, ulterius Getae, ex inde Sauromatum vulgus, postremo Scythae ad exitum fluminis usque ubi per quinque ostia in Euxinum pontum influit." De exped. Alex. lib. I. p. 18. 2) Tacitus scribit: Juxta Hermunduros Narisci, ac deinde Marcomanni et Quadi agunt. Marcomannorum sedes pulsis olim Bois parta. Nec Narisci Quadique degenerant. Eaque Germaniae velut frons est, quatenus Danubio mergitur." De moribus Germanorum nro 42. 3) Velleius Paterculus: „Nihil erat iam in Germania, quod vinci posset, praeter gentem Marcomannorum," — Initio inter Moenum ac Nekkar fluvios agebant, Bohemiam ingressi, Pannoniae superioris, quae a monte Comagenio, al. Coetio incipit, oppositas trans Danubium oras, Carnuntum usque (hodie Petronella) tenuerant: „Trumphi acti ex nationibus, quae Regi Marcomanno ab usque urbe Pannoniae, Carnunto, ad media Gallorum protendebantur." Ita Aurelius Victor, et Capitolinus in Marco Aurelio. Cf. Ptolom. II. 11. Jorn. de rebus Get. etc. Marcomannos Slavocroatas fuisse, Petri Katanchichii commentum est. Cf. I. Frh. Hormayr. Wien I. Band. p. 97.

Getae quidem pluribus etiam aliis Gothi habiti: Procopius in exord. Hist. Getar. „Sunt qui et Gothos Getas dixere." Orosius 1, 16. „Modo autem Getae illi, qui nunc Gothi, quos Alexander evitandos pronunciavit, relictis vacuisque factis sedibus suis, ac totis urbibus, toti Romanas ingressi provincias." Ast primaevae Getarum sedes in Moesia inferiori, Montem Haemum inter ac Danubium, compertae: v. Herodotum IV. 98. Plin. IV- 11—12. Melam, Ovidium Tristium I. 9. 14. II. 19. etc. Dio Cass. L. I. Strabo VII. p. 212. Jornandes de Regn. Success. p. 50- sq.

Subin stirps una Bulgariam, orasque Danubii boreales obsederant. Daci cognominati: Plin. IV. 2. 14. Caesar Gall VI. 25. Tacit. Hist. I. 2. III, 16. IV. 56. sq. Florus IV. 42. Eutrop. VI, 9. 13. Iornand. de regn. succes. p. 39. 44. 47. Cf. Theodorit. Hist. Eccl. II. 4. Gothi vero, alias Gothones, Gythones, Gutae, ex Scandinavia, ab ostiis Vistulae Austro — orientalibus, a Venedis propulsi, seculo II. partim in Daciae confinio extremis consederant, partim sinum Ponti Euxini coluerunt; V. Tacitum Germ. c. 43. Ann. 11, 62. Plin. IV, 28. XXXVII. 2. 11. Strabo. VII, 1. Ptolom. III. 5. Jorn. de Reg. succes. p. 51. 57. 59. De Reb. Get. p. 92. sq. 98. sq. 102. sq. 143. Paul. Warnefrid. de gestis Longobard. L. 1; etc. Gothi in complures populos fuerant divisi; praecipui: Visigothi, Ostrogothi, Vandali, Gepidae, Heruli, Rugii etc. „Gothicae nationes multiplices et olim fuere, ait Procopius in exord. Hist. Get.; maxime harum nobilissimae sunt Gothi, proprium nomen ex tota gente adepti: Vandali, Visigothi, et Gepides. Eas vetustas Sauromatas et Melanchlaenos vocabat, — neque alio modo, praeterquam nomine differunt. Candidi corpore omnes, comas rutuli, proceri, pulchra facie; leges eaedem, nec Dei cultus discrepat, cunctis Arii placita sequentibus, lingua una, Gothica quae dicitur.“

Hunni, Dionysio Periergetae Chuni, Sinensibus Chyun Nyu, v. Hiong — Nu, Scythica gens. Regno Sinico in moderna Mongolia confines, atque aemuli, ante Nativitatem Christi proxime ad lacum Baykal, Buchariam minorem, retrusi; seculo quarto Etil, seu Volga flumine superato, ad pontum Euxinum Alanis caesis. Vandalis, Burgundionibus. Visigothis, Quadis sedibus propulsis; Ostrogothis, Gepidis, Herulis subactis, Valentiniano Imperante, Macrino Romanorum Duce victo, A. 375. Pannonias usque sunt effusi. Attila rege imperio utrique dominati, Sirmium, Metropolitanam sedem, evertunt, etc. Limites regni signavit Priscus Excerpt. p. 37. edit. Ven. „Ea ditio secundum Istrum a Paeonibus (Pannoniis) ad Novas usque Thraciae, in longitudinem extendebatur; latitudo autem erat quindecim dierum itinere; Naissus urbs quinque dierum itinere expedito homi-

ni, ab Istro distans; Scytharum et Hunnorum limites constituebat.“ Attila anno 453-o sublato, filii, in mutuas caedes ruentes, a nationibus subditis, Gepidarum Ostrogothorum, Herulorum, Rugiorum et Scirrorum etc. victi sunt 454-o; reliquiae ipsorum ad pontum Euxinum se retraxerant: Cf. Ammianum Marcell. VII. 11. XXXI, 2. 8. Jornand. de Reg. Succ. p. 51. 57. 62. Item de Reb. Get. p. 84. sq. 103. 114. 131. sqq. Pauli Varnefrid I. 27. IV. 12. etc. Gepidae Daciam omnem usque flumen Tibisci, Ostrogothi Pannoniam inferiorem, Heruli, Rugii, Scirri Pannoniam superiorem, ac Marcomannorum Quadorumque sedes obtinuerant. Cf. Magnus Hist. Goth. Danic. Loccenius Antiq. Sveo-Gothicarum, Manso: Das Reich der Ostrogothen. Item: Asbach, Geschichte der Heruler und Gepiden. 1805.

§. 10. Neque Scriptorum § 4. laudatorum ıctoritas originem Nitriensis Episcopatus a Frigilda Marcomannorum Regina, deductam evincit: ›n enim monumentorum testimonio, sed opinioım, coniecturarumque, oppido fallacium, subsidio ıntaxat innixa. „Qui opus et Historiam agitat com›nere, inquit Plutarchus in vita Demosthenis, ›n ex iis, quae ad manum sunt, ac domi et in ıvio reperiuntur; sed ex insignitis et externis ıam plurimis, ac dispersis apud varios auctores llectam lectionibus, et quae Scriptorum stylum gerant, clariorem autem fidem obtinuerunt, — t, ne opus multis ac necessariis destitutum rebus ere necesse habeat.“

§. 11. Nobis Episcopatus Nitriensis initia conrsionem usque Sclavorum Marahanensium reıhenda videntur. Huic Caroli Magni Imperatoı virtus, et armorum felicitas, dederat occasiom: Pannoniae utriusque incolae, Avares iteratis ıdibus, Sclavi deditione, jugum subiverant Im-

Imperantis; qui sua interesse ducebat, gentes subditas ad sacra quoque Christiana amplectenda cogere. Initium a Carentanis, ac Pannoniae inferioris accolis, sumtum. Tudunus, Auarum Princeps, lubens volensque sacrum expetit baptisma, nonnullis suorum etiam ad fidem attractis (Annales Pythaeani ad annum Christi 795—96). Labor perficiendus Arnoni, Carolo prae ceteris charo, delatus (Alcuinus epistola VII-a); qui rebus e voto cedentibus, post Virgilii obitum, Jauaviensibus Praesul datus, a Leone III. Papa Archiepiscopatus insignia, atque Caroli Imperantis auctoritate, in Bavariam, et inferiorem etiam Pannoniam jurisdictionem reportavit: „Leo, inter cetera inquit — cum consensu ac voluntate filii nostri, Domini Caroli — Regis vobis ordinavimus, secundum sanctiones Patrum, Archiepiscopum Arnonem, Ecclesiae Juvaviensium. — Qui dudum noster Corepiscopus, nunc autem frater noster, et Coëpiscopus, vester autem Archiepiscopus. — Usum pallii tribuentes ei, dedimus in mandatis, ut secundum canonicas institutiones omnibus Ecclesiis (Frisingiae, Reginensi, Passaviensi, Niwenburgensi, Provinciae Bayoariorum) canonice valeat adminiculum impertiri.“ Cod. Dipl. Tom. I. p. 147—9. Constitutionem hanc Pontificiam Carolus Imp. confirmat: Carolus (ait Alcuinus epistola CIV.) partem Pannoniae circa lacum Pelissa (Peiso) inferioris (Pannoniae) ultra fluvium, qui dicitur Rapa, et sic usque Dravum fluvium, et eousque Dravus fluit in Danubium, prout potestatem habuit, praenominavit eum doctrina, et ecclesiastico officio procurare populum, qui remansit de Hunnis et Sclavis, in illis partibus Arnoni, Juvaviensium episcopo.“ Ibid. p, 149. Consentit

ıonymus de conversione Carentanorum: „Anno 6. ipse Insperator praecepit Arnoni Archiepiɔpo pergere in partes Sclavoniae, ac providere nem illam regionem et ecclesiasticum officium, ore episcopali colere, populosque in fide et chriıanitate praedicando confortare; sicut ille fecit uc veniendo. Consecravit Ecclesias, ordinavit esbiteros, populumque praedicando docuit. — ınc jussu Imperatoris ordinavit Deodericum Epiopum et perduxit in Sclavoniam, dedit in maıs Principum, commendans illi Regionem Carennorum et confines eorum occidentali parte Drafluminis usque dum Dravus fluit in amnem anubii." Nris. 12—15. Cf. Nro. 51.

Sclavini primitus ad fluvium Vistulae, trans Alpes Carpaticas, agitantes, Boristhenem usque, temporum lapsu, delati sunt; testibus Jornande ac Procopio: „Juxta alpium Daciae sinistrum latus, quod in Aquilonem vergit, et ab ortu Vistulae fluminis per immensa spatia venit, Vinidorum natio populosa consedit, quorum nomina licet nunc per varias familias et loca mutentur, principaliter tamen sclavini, Antes nominantur. — Sclavini usque ad Danastrum, et in boream Visela tenus (Vistulatenus) commorantur," ait Jornand. De rebus Geticis cap. 6. edit Grut. Tom. II. Hist. Aug. — „Nomen etiam Sclavenis et Antis unum erat, utrosque enim appellavit Sporos Antiquitas; ob id opinor, quia sparsim et rare positis tabernaculis regionem obtinent. Et vero ulterioris ripae Istri partem maximam habent" inquit Procopius de bello Gothi. lib. III. cap. 14. Bulgari Sclavinorum stirpes septem, sibi vicinas, armis subactas, in regionem Moravam, ac Vagum inter fluvios. ad montis Carpatici radices et Rugiis incolis per Herulos excisis, vacuas illocant: Quumque Bulgari Sclavinorum septem generationes in potestatem redegissent, meridiem et occidentem versus, ad Abariam usque, gentes septem sibi vectigales factas, illuc transtulerunt et collocarunt"; ait Theophanes Chronologus ad an-

num XI. Constantini Pogonati Imp. Christi 679. „Bulgari Sclavinorum gentem, quae illic in propinguo degebat, in potestatem redigunt; ac partem suorum in eo limite, qui Auares respiciebat, collocant"; ita Nicephori Breviarii p. 23. — Alios Sclavinos Carpaticos Justinianus Imp. partim in Dalmatiam, partim in Moesiam superiorem, incolas transmisit teste Constantino in purpura genito: de adm. Imp. cap. Hi Servii et Sclavonii, illi Crobati; ad amnem vero Moravam illocati, Maraci, ac Maharanenses sunt compellati. Crobati Dalmatiae ad Carentanam usque regionem fines suos protulerant. Erant omnes non baptizati: eodem Constantino teste l. c. cap. Superstitiosissimi Moravici: Dii eorum famigeratus Pierum Brunae, Vitizlaus Welehradi, Dea, Krasopani (Venus), etc. V. Sacra Moraviae Historia a Joanne Georgio Stredówszky. Solisbachi. A. MDCCX-o in 4-o.

Auares. Pseudo-Hunno Auares, Turcorum ad montem Altai servi fugitivi A. 558. ab orientalibus maris Caspii oris, fluvio Etil. al. Volga trajecto, ponti Euxini populos Hunnico nomine perculsos, sibi aggregarunt; (Theophilact. in excerptis Leg. l. c. p. 151.) ac postquam aliquamdiu orientis incubuissent imperio, sedes flagitantes, ad Daciae limites eo ipso tempore pertigerant, quo inter Gepidas, Daciae Dominos, ac Longobardos, quibus Ostrogothi Pannoniam, Herulis ereptam, Italiam petentes, reliquerunt, de vita ac salute actum fuit. Justino II. Imp. A. 566. Gepidis clade affectis et excisis, Auares Daciam omnem, mox Longobardis in Exarchatum Rauennae infusis Pannoniam quoque utramque possederunt. V. Paul: Vanefrid. de gestis Longob. IV. 25 27. Cf. Stritterum. Tom. III-o. 143. Maracos facili opera subjugarunt: „Miserat Abarum Dux ad Laurentium, Sclavinorum Ducem, et eos qui apud gentem auctoritatem habebant, ut Abaris dicto audientes essent, et eorum numero se adscribi sinerent, qui tributa ipsis pendebant. —— Sclavini, quum irae moderari nequirent, legatos, qui ad se venerant, occiderunt. Haec audita nimium Bajanum abalienarunt. — Qui in ulteriorem fluminis (Danubii) ripam transgressus, vicos et pagos Sclavinorum igni ferroque vastavit, et cum nemo barbarorum auderet cum illo manus conserere, (etenim in sylvas

et cavernas confugerant) omnia quae potuit, rapuit. Auarum jugum Sclavini gesserant annis prope centum." Menander excerpt. leg. p. 164. Cf. etiam Simocattum lib. VI. cap. 3. sqq. Aimonium lib. IV, cap. Fredegari Chronicon cap. 48. — Auares Sirmio capto, Lauriacum urbem metropolitanam, in confinio Norici, Coloniam Augelianam, ac praefecturae classis ac legionis II-ae quondam sedem (hodie oppidum Lorch, Lorich v. Lorach ad amnem cognominem supra Anasum) everterunt sub Vivilone Pontifice, a Gregorio III. Papa ordinato, qui ea propter sedem suam Patavium (Passau) transferre coactus fuerat circa annum 737-um. V. Inscript. ex Cluverio, Itinerarium Antonini, Notit. Imperii, Tabulam Peitinger sub voce: Blaboriacum. Cf. Caroli a S. Paulo Geograph. Eccles. literas item Gregorii Papae III. Cod. Dipl. tomo I-o ad annum 740-um.

Auares, continuis bellis, Samonis item Sclavini rebellione, ac Bulgarorum aemulatione, debilitatos, Carolus M. Francorum rex, et Imperator, iteratis cladibus ab anno 791 — 9. illatis vicit, ac trans Tibiscum rejecit. Terras eorum Ecclesiis Bavariae comitibusque suis divisit: quae Author Chronici Altahensis in haec verba complexus est; „Nam terram Auarorum, sive Hunnorum, per bellum continuum octo annorum capiens (Carolus M.) Auaribus expulsis, ipsam Auariam, sive superiorem Pannoniam, quae nunc nomen tenet Austriae, totam inter Ecclesias Bavariae, Pontifices, et Abbates, Comites dividit et Barones." V. Bonavent. Piller in ·· ta Guntheri p. 10. Sclavini tam Marahanenses, quam Crobati spontanea deditione salutem expedierant: „Carolus per bella primo Aquitaniam et Vasconiam totumque Pirenei montis jugum et usque ad Hiberum Amnem, — — deinde Italiam totam, quae ab Augusta Praetoria usque in Calabriam inferiorem, in qua Graecorum et Beneventanorum constat esse confinia, porrigitur, tum Saxoniam, post quam utramque Pannoniam, et oppositam in altera Danubii ripa Daciam, — Histriam quoque ac Liburniam, atque Dalmatiam, exceptis maritimis urbibus, quas ob amicitiam, et junctum cum eo foedus, Constantinopolitanum Imperatorem habere permisit, ita per-

domuit, ut eas tributarias efficeret." Eginhardus in vita Caroli Magni. Reliquiis Auarum sedes in Pannonia superiore Carnuntum usque, Tuduno praefecto, assignavit; hic per Marahanenses impetitis, regionem, quae inter Carnuntum et Sabariam exporrigitur, concessit. Cf. Annal. Sangallen. Breviarium A. 791. Ann. Augien. a. c. Annales Sangal. Majores A. d. 863. Ann. Laurish. Min. a. 795. Annal. Eginh. 782. 788. 790, sq. 803. Poëta Saxo A. 791. Annal. Eohard. Fulden. 7. 96. Chronicon de gestis Normann. in Francia; Annal. Caroli M. Chronicon Alberti Stad. p. 184. 194. Annal. Pithaean. a. 811. etc. — Moravis circa annum 817. Euangelium annunciasse Reginarium Passaviensem Praesulem, fide Scriptorum certum est, quos vide in codice ad a. h.

§. 12. Causa hac exortus est Nitriensis Episcopatus: Urolfus enim Valtrici, in Sede Passaviensi, in quam Metropolitanae Laureacensis Ecclesiae, ab Auaribus destructae, dignitas transiit, successor, Archiepiscopatus sui jura tuiturus, episcopatu post anni unius gubernium misso, ad munus Apostolicum se convertit, Avaribusque, superiorem Pannoniam incolentibus, Evangelium annunciat eo cum fructu, ut et Chagauum ipsorum Tutundum, et partem plurimam Christo lucri faceret. His animatus Reginarium Passaviensem Episcopum imitatus, ad Sclavos quoque Marahanenses, qui oppositas Danubii oras incolebant, Evangelii luce illustrandos, transgreditur; labor Apostolicus hic etiam e voto cessit: nam principem eorum Moymarum, atque populi plurimos, a crassa gentilismi superstitione ad fidem Christi convertit. Hanc, cum in Auaria tum etiam Marahania, firmaturus: quatuor constituit episcopatus; Favianensem, Vetuariensem, Speculo-Juliensem ac Nitriensem, horumque confirmationem ac dignitatis suae Metropolitanae instaurationem, ab

Eugenio II. Papa expetiit, impetravit quoque testibus ejusdem Eugenii literis; quae sic habent: „Eugenius Episcopus — Ratfredo S. Favianensis Ecclesiae, et Methodio Speculo — Juliensis, quae et Soriguturensis nuncupatur, atque Alevino S. Nitraviensis Ecclesiae, parique modo Annoni S. Wetuarensis Ecclesiae Episcopis, simul etiam Tutundo, nec non Moymaro, Ducibus et primatibus, exercitibusque plebis Hunniae, quae et Auaria dicitur, et Moraviae. — Reverendissimus Urolphus, S. Lauriacensis Ecclesiae Archiepiscopus, et Sanctissimus frater noster, vester autem Spiritualis Pater, qui per suam Sanctam praedicationem adoptivos Deo vos genuit filios — ad Apostolorum limina veniens, novam Ecclesiam nostris benedictionibus informandam subnixe commendavit. — Quem nos doctissimum divini oraculi ministrum saluti vestrae cognoscentes per omnia necessarium, — ab hac Sancta Romana matre Ecclesia vobis rectorem transmisimus, atque in praefatis regionibus Hunniae, quae et Auaria appellatur, sed et Moraviae provinciarumque Pannoniae, sive Mesiae, Apostolicam vicem nostram, atque Dioecesim, ac jus ecclesiasticum exercendi et usum et potestatem antecessorum suorum, videlicet S. Lauriacensis Ecclesiae Archiepiscoporum, sibi ac successoribus suis canonica auctoritate committimus, atque hujus constitutionis nostrae decretum subscriptionis privilegio confirmamus. Pallium praeterea juxta consvetudinem antiquam sanctitati suae dedimus", etc. A. 826. V. Cod. Diplomatici Tomo I. p. 158. sqq.

§. 13. Haec sunt Episcopatus Nitriensis, in rebus facti, ac literis solennibus fundata primor-

dia; Praesulque primus Alevinus: gloriae illi satis, maxima, si unam Syrmiensem excipias, inter cunctas Regni nostri sedes, vetustas: conjecturis, nullo facto certo, ac indubitato, nixis uti, ad institutionem ejusdem primae aetati, Fritigildaeque Parenti, adscribendam, ipso Auctore consentiente vitium est p. 5. §. 2.

II. Instauratio Episcopatus Nitriensis prima.

§. 14. Nitriensis Ecclesia, quam Privinna, partis Moraviae Dominus, condiderat, Adelramus, Arnonis in sede Juvaviensi successor, honoribus S. Emmerani consecraverat anno 828. „Cui (Privinnae) Adalramus A. Episcopus ultra Danubium, in loco vocato Nitravo, consecravit Ecclesiam", ita Historia conversionis Carentanorum. — Ecclesias Moravicas, proin Nitriensem quoque, post Urolfi, Auarorum, Marahensiumque Apostoli, decessum, qui teste Pagio, Criticorum celeberrimo, anno 837-o accidit, superstitem extitisse, Bavariae Praesulum ad Joannem IX. PP. anno 899-o destinatae, certum reddunt: ajunt enim: „Terra Sclavorum, qui Maraci dicuntur, Regibus nostris ac nobis, cum habitatoribus suis, subacta fuerat tam in cultu religionis, quam ex tributo substantiae saecularis; quia exinde primum imbuti, et ex paganis Christiani facti sunt. Et idcirco Pataviensis Episcopus civitatis, in cujus ditione sunt, illius tempore populi ab exordio christianitatis eorum, quando voluit et debuit, illuc nullo obstante intravit et synodalem cum suis, et etiam ibi inventis, conventum frequentavit, et omnia, quae

agenda sunt, potenter egit, et nullus ei in faciem restitit." V. Cod. Dipl. Tomo I. p. 229—230.

§. 15. Moravicam Ecclesiam causae multiplices praepropere in ruinam impulerant: 1) Juvavienses A. Praesules metere, ubi non seminarunt, cupientes, ac, quod Passaviensis Ecclesia, cui Lauriacensis iuncta fuerat, ipsorum jurisdictioni Metropolitanae paruerit, potestatem in Auariam ac Moraviam quoque sibimet arrogarunt. Lis haec, post obitum Urolfi erumpens, Archiepiscopatuum divisione componi per Ludovicum tentata: Ludovicus Germanicus, Ludovici Pii filius, Bojorum (ab anno 825.) Rex anno 839 accersivit Reginoburgum Pontificem Salisburgesim, Aldramum, et Pataviensem, Reginarium; hic exemplo praedecessoris sui, Urolfi, volebat esse Metropolita Lauriacensis, qualis Urolfus fuerat decreto Eugenii Papae: sed Aldramus Leonis III. et Caroli M. definitioni innixus, jus Metropolitanum Juvaviensis Ecclesiae in Moraviam et Pannoniam quoque sibi vindicabat. Ludovicus Germanicus, utroque audito, sententiam hunc in modum tulit: Ut Regio, quae ultra Commagenos montes est, inter utrumque Antistitem dividatur; ut aquilonarem occidentalemque oram, qua Spiraza omnis exoritur, et cum altero Spiraza et Arabone confluit, Pataviensis Antistes haberet; reliqua orientem et austrum spectantia procurarentur a Salisburgensi. Actum Raganesburch. Anno Christo propitio DCCC. XXXIX. anno XVII. Ludovico Imperatore, filio ejus Ludovico regnante in Bojaria anno V. XIV. Kal. Decem. Luna XVI. Indict. VIII. Angelramus ad vicem Gozbaldi scripsi et subscripsi." Cod. Dipl. tomo I. p. 162. Ast conciliatione isthac A. episco-

porum Salisburgensium ambitioni factum nequaquam fuisse satis, acta Synodorum Germaniae, quibus Passaviensis episcopus duntaxat subscribitur, affatim docent. 2) Bavaros inter ac Moravos acris, hostilitatem usque progressa, contentio mox erupit; qua propter Bavari Praesules, ac sacerdotes, Moravis invisi, a provinciae Moravicae aditu, ab anno praesertim 855-o, interdicti sunt, quod episcoporum Bavariae querelis plenae literae contestantur: „Olim comites etiam nostri, inquiunt illi, terrae confines, placita secularia illic continuarunt, et quae corrigenda sunt correxerunt, tributa tulerunt, et nulli eis restiterunt, usque dum, incessente corda eorum diabolo christianitatem abhorere et omnem iustitiam detrectare, belloque lacessere, et obsistere saevissime coeperunt, adeo, ut via Episcopo, et praedicatoribus eo non esset; sed libitu suo egerunt, quae voluerunt.“ l. c. p. 230. Num, Alewinus primus Nitriensibus datus Praesul, hunc Moraviensis Ecclesiae occasum supervixerit, nec ne, certi quid constitui nequit: successoris dati nullum in monumentis vestigium; vero videtur similius, ob invalescentes inter Bavaros ac Moravos hostilitates nullum eidem suffectum pastorem ac doctorem, Nitriensesque in pristinam relapsos esse superstitionem; huc pertinet Bavariae Praesulum querimonia: „Antecessor vester — Vichingum consecravit episcopum, et nequaquam in illum antiquum Passaviensem episcopatum transmisit, sed in quandam neophytam gentem, quam ipse Dux domuit bello, et ex paganis christianos esse paravit.“ l. c. p. 237.

§. 16. His rationum momentis impulsus Rastices (al. Radislaus) Marahanensium Princeps Moymari ad fidem christianam conversi nepos, praeconem Evangelii, qui populi sibi subditi linguam nosset, eumque fidei rudimentis ac literis informaret, a Michaële III-o, Orientis Imperante, legatione Constanipolim destinata, requirendum duxit; optato cum eventu: nam, uti Cyrilli ac Methodii biographus in agenda prima, ab Antverpiensibus edita ad 9-am Martii, perhibet: „Philosopho (Constantino) reverso Constantinopolim, audiens Ratislaus, Princeps Moraviae, quod factum fuerat a Constantino in provincia Chazarorum, ipse quoque genti suae consulens, ad praedictum Imperatorem nuncios misit; nuncians hoc, quod populus suus ab idolorum quidem cultura recesserat, et christianam legem observare desiderabat; verum Doctorem talem non haberet, qui ad legendum eos, et ad perfectam legem edoceat; rogare se talem hominem ad partes illas dirigat, qui pleniter fidem et ordinem divinae legis, et viam veritatis populo isti ostendere valeat; cujus precibus annuens Imperator eundem supernominatum Philosophum ad se venire rogavit, eumque illuc, id est, in terram Sclavorum, simul cum Methodio, germano suo, transmisit, copiosis valde de palatio suo datis expendiis." nro 7-o.

§. 17. Missioni huic evangelicae Constantinus ac Methodius integerrime, felicique cum successu responderant: „Quumque (continuat idem Legendarius) ad partes illas, Deo praeparante, venisset (Constantinus cum Methodio), cognoscentes loci indigenae adventum illorum, valde gavisi sunt, quia et reliquias B. Clementis secum adferre audi-

erunt; et Evangelium in eorum linguam a Philosopho praedicto translatum. — Coeperunt itaque illi ad id, ad quod venerant, peragendum studiose insistentes et parvulos eorum literas edocere, officia ecclesiastica instruere, ad correptionemque diversorum errorum, quos in populo illo repererant, falcem eloquiorum suorum inducere; sicque abrasis et exstirpatis de agro illo pestifero multifariis vitiorum sentibus divini verbi gramina seminare." Ibidem.

§. 13. Haec Pagio interprete anno Christi 863. Assemanno vero, anno 866-o facta sunt (V. Kalendarii universalis tomo III. p. 44.). Apostolicis laboribus his perceptis, Nicolaus I. PP. Constantinum ac Methodium Romam evocat; Jussis parent exciti; ast Pontificem non inveniunt superstitem (Mortuus fuit Nicolaus I. A. 867. X-ma Nov.) Hadrianus I., XVI. Decembris, anno eodem consecratus, advenas benigne suscipit, episcopalique ornat gradu. Ast Constantinus mox sacro renunciat ordini, sumtoque C y r i l l i nomine, monasticam amplectitur disciplinam. Methodius solus ad labores evangelicos consummandos, Archiepiscopali auctus dignitate, quo inter Juvaviensemac Passaviensem Praesules vigens sopiatur aemulatio — in Moraviam remittitur. Hinc Methodius non Marahanensium solum Sclavorum Apostolus, sed illorum etiam, qui Pannoniam inferiorem accolebant, Doctor et Pastor; Historia conversionis Carentanorum saepe laudata teste: „Qui (Richpaldus Archipresbiter Mosburgensis (in Pannonia inferiore) multum tempus ibi demoratus est, exercens suum potestative officium, sicut illi injunxit Archiepiscopus suus (Salisburgensis), usque dum

quidam Graecus, Methodius nomine, noviter inventis Sclavinis literis, linguam latinam, doctrinamque Romanam, atque literas auctorabiles latinas philosophice superinducens, vilescere fecit cuncta populo, ex parte Missas, et Evangelia, ecclesiasticumque officium illorum, qui hoc latine celebrarunt. Quod ille ferre non valens sedem repetivit Juvaviensem.“ Item infra: „Tempore ergo, quo dato et praecepto Domini Caroli Imperatoris orientalis Pannoniae populus Juvavensibus coepit regi Praesulibus, usque ad praesens tempus, sunt septuanginta quinque; quod nullus episcopus alicubi veniens potestatem habuit ecclesiasticam in illo confinio, nisi Salisburgenses rectores; neque Presbiter aliunde veniens plus tribus mensibus ibi suum ausus est colere officium, priusquam suam dimissoriam Episcopo praesentaverat epistolam. Hoc enim observatum ibi fuit usque dum nova orta est doctrina Methodii Philosophi.“ l. c. Acta proin haec sunt anno Christi 873-o.

§. 19. Haec, praesertim jurisdictio Methodii in Pannoniam inferiorem prolata, non episcopis solum, sed Principibus quoque Germaniae displicuit: ast Joannes VIII. PP. Pannoniam suismet asseruit juribus; Methodium vero ipsis commendare non destitit; Ludovico, regi Germaniae rescripsit: „Joannes Episcopus dilecto filio, Ludovico, regi glorioso. Inter cetera multis ac variis manifestisque prudentia tua poterit indiciis deprehendere, Pannoniam Diocesim, ab olim Apostolicae sedis fuisse privilegiis deputatam, si apud Excellentiam tuam justitia Dei locum, sicut decet, invenerit. Hoc enim synodalia gesta indicant, Historiae conscriptae demonstrant. Verum quia qui-

busdam hostilium turbationum simultatibus impedientibus, illic ab Apostolica sede non est diu directus Antistes, hoc apud ignaros venit in dubium etc." A. 874. Cod. Dipl. tom. I. p. 186. Hunc in sensum Paulum etiam Anconitanum Praesulem suum in Pannonia, et Germania Legatum, edocuit: ibid. p. 187. Carolomanno autem Pannoniae ac Charinthiae Principi significavit: „Joannes Episcopus, glorioso viro Carolomanno, dilecti filii nostri Ludovici regis filio. Reddito et restituto nobis Pannoniensium episcopatu, liceat fratri nostro Methodio, qui illic a sede Apostolica est ordinatus, secundum priscam consuetudinem libere, quae sunt Episcopi, gerere." Ibid. A. 874. p. 196. Montemero autem, Sclavoniae Principi, Privinnae nepoti, ita scripsit: „Joannes Episcopus Montemero Duci Sclavoniae, — Admonemus te — ut progenitorum tuorum secutus morem, quantum potes, ad Pannoniensium reverti studeas Diocesim. Et quia illic jam, Deo gratias, a sede Beati Petri Apostoli episcopus ordinatus est, ad ipsius pastoralem recurras sollicitudinem." A. 876. ibid. p. 196,

§. 20. His ad primam Episcopatus Nitriensis instaurationem delapsi sumus; ei Svatoplugus, etiam Sventboldus, Zwentmarus etc. dictus, qui Rastici, erutis oculis, in monasterium detruso in Moraviae Principatu anno 870. successerat, ac regnum quoque Bohemiae ab anno 890—4. tenuerat, dedit occasionem. Is Methodium, ob linguae vulgaris in sacris, ut videtur, usum temeratae fidei suspectum Joanni VIII. Papae incusat; Pontifex Methodium a fide orthodoxa descivisse admiratus Romam ad confessionem fidei evocat. Post-

quum facto examine illam integram comperit, usu linguae Sclavonicae in sacris publicis porro quoque indulto, Svatoplugo commendatum remittit, Wichingum vero, quem is cum Methodio Romam destinarat, episcopum Nitriensem consecratum adjungit. Horum sequentia sunt testimonia:

Zventmaro de Moravia. — Quod autem, sicut Joanne Presbitero vestro, quem nobis misistis, referente didicimus, in recta fide dubitatis, monemus dilectionem vestram, ut sic teneatis, sic credatis, sicut sancta Romana Ecclesia ab ipso Apostolorum Principe didicit, tenuit, et usque ad finem saeculorum tenebit; — et sicut Antecessores nostros, sanctos videlicet Apostolicae sedis Praesules, parentes vestros, ab initio docuisse, cognoscitis. — Quia vero audivimus, quia Methodius, vester Archiepiscopus, ab Antecessore nostro, Hadriano scilicet Papa, ordinatus vobis directus, aliter doceat, quam coram sede Apostolica se credere et verbis et literis est professus, valde miramur, tamen propter hoc direximus illi, ut absque omni occasione, ad nos venire procuret." A. 879. l. c. p. 211.

Reverendissimo Methodio Archiepiscopo Pannoniensis Ecclesiae. — Audivimus, quod non ea, quae sancta Romana Ecclesia ab ipso Apostolorum Principe didicit, et quotidie praedicat, in docendo doceas, et ipsum populum in errorem mittas. — Unde his Apostolatus nostri literis tibi jubemus, ut omni occasione postposita ad nos de praesenti venire procures, ut ex ore tuo audiamus, et cognoscamus, utrum sic teneas, ac praedices, sicut verbis et literis te sanctae Romanae Eccle-

siae credere promisisti, aut non, ut veraciter cognoscamus doctrinam tuam. — Audimus etiam quod Missam cantes in barbara, hoc est in Sclavonica, lingua: unde jam literis nostris, per Paulum Episcopum Anconitanum tibi directis, prohibuimus, ne in ea lingua sacra Missarum solemnia celebres, sed vel in latina, vel Graeca lingua; sicut Ecclesia toto terrarum orbe diffusa, in omnibus gentibus dilatata cantat. Praedicare vero aut sermonem in populo facere, tibi licet; quoniam Psalmista omnes admonet: Dominum gentes laudare, et Apostolus: Omnis, inquit, lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris." A. 879. L. c. p. 212.

Dilecto filio, Swentopulchro glorioso Comiti. — Fratrem nostrum Methodium, Reverendissimum Archiepiscopum, S. Ecclesiae Moravensis, una cum Semisno, fideli tuo, ad nostram pontificalem praesentiam venientem — interrogavimus, coram positis fratribus nostris Episcopis, si orthodoxae fidei symbolum ita credat, et ita caneret inter sacra Missarum solemnia, sicut Romanam Ecclesiam tenere, et in sanctis universalibus synodis a sanctis Patribus, secundum Evangelium Christi, Dei nostri auctoritatem promulgatum atque traditum constat. Ille autem professus est, se juxta Evangelium, et Apostolicam doctrinam, sicut sancta Romana Ecclesia docet et a Patribus traditum est, tenere et psallere. Nos autem illum in omnibus orthodoxum et proficuum esse reperientes, vobis iterum ad regendam commissam sibi Dei Ecclesiam remisimus; quem veluti Pastorem proprium, ut digno honore ac reverentia, laetaque mente recipiatis, jubemus; quia nostrae Apo-

stolicae auctoritatis praecepto Archiepiscopatus ei privilegium confirmavimus, et in perpetuum, Deo juvante, firmum manere, statuimus."— Usum vero linguae Sclavonicae in sacris publicis, certa sub norma, indulsit; ac Vichinum, itineris comitem, Nitriensium consecravit Episcopum: „Ipsum quoque, ait, Presbiterum nomine Vichinum, quem nobis direxistis, electum Episcopum, consecravimus sanctae Ecclesiae Nitriensis, quem suo Archiepiscopo in omnibus obedientem, sicut sancti canones docent, esse jubemus." En Nitriensis Episcopatus instaurationem primam. Anno 880.

Schlavini a linguae vulgaris in sacris publicis usu mox sponte sua recesserunt, in Synodo Salonitana statuentes: „Ut nullus episcopus nostrae provinciae audeat in quolibet gradu Schlavonica lingua aliquem promovere; qui tamen promoti sunt, in clericatu et monachatu deservire poterunt. Nec in sua Ecclesia sinat eum Missas facere, praeterquam si necessitatem sacerdotum haberet, per supplicationem a Romano pontifice licentiam ei sacerdotalis ministerii tribuat." Apud Farlatum Illyrici S. Tom, III. p. 97. an. 925.

§. 21. Nec vice hac Ecclesiae Nitriensi concessa diuturnitas: causa ipse Vichingus Praesul fuerat: cui cum Archiepiscopo suo, ob linguae vulgaris usum, seu alias ob causas, neutiquam, ut oportuit, convenerat; secretae cujusdam instructionis, quam Romae cepisset, obtentu, superiorem suum diversis lacessivit molestiis, quas Methodius, aeger animo, querulis ad sedem Apostolicam detulit literis. Afflictum Papa Joannes paternis solatus est responsis, omnemque secretam a se repulit instructionem. „Auditis, inquit, per literas tuas variis casibus, et eventibus tuis, quanta com-

passione condoluerimus, ex hoc advertere poteris —— neque Episcopo illi palam vel secreto, aliud faciendum injunximus et aliud a te peragendum decrevimus: quanto minus credendum est, ut sacramentum ab eodem episcopo exegerimus, quem saltem levi sermone super hoc negocio allocuti non fuimus." A. 881. l. c. p. 217. Vichingus mox Episcopatus sui anno XVIII. gesto muneri nuncium misit, seque ad Arnulfum Imperantem contulit; a quo cancellarii Imperialis dignitatem adeptus, subin Passaviensem quoque sedem, anno 898. vacuam, obtinuerat. Ast a synodo Salisburgensi anno 899. exauctoratus: „Engilmarus, Pataviensis Episcopus obiit; in cujus locum Vichingus quidam Alamannus, contra instituta Patrum, prius Marahensis ab Apostolico destinatus Episcopus, rege concedente successit. Sed non multo post a Ditmaro A. Episcopo, ceterisque suffraganeis suis, contra voluntatem regis, canonicali judicio abjectus, ac Richardus ad eandem sedem episcopus, in id ipsum tempus, ordinatus est" Cod. Dipl. tom. I. p. 228.

§. 22. Anno eodem, qui Methodio ultimus fuit, Archiepiscopatui Moravico, sedique Nitriensi vacantibus, Joannem VIII. Papam ablegatis destinatis providisse, literae Praesulum Bavariae, saepius laudatae docent, sic enim ferunt: „Venerunt, ut ipsi promulgarunt, de latere vestro tres Episcopi, videlicet Joannes Archiepiscopus, Benedictus et Daniel episcopi, in terram Sclavorum, qui Maraci dicuntur, et ordinaverunt in uno eodemque episcopatu unum Archiepiscopum, si tamen in alterius episcopatu Archiepiscopium esse potest, et tres suffraganeos ejus episcopos, abs-

que scientia et consensu episcopi, in cujus fuere dioecesi." Cod. Dipl. tomo I. p. 229—30. Ast quisnam ille Archiepiscopus? quo loco fixus? quis sedi Nitriensi datus? num etiam illocati? Haud claret. Similius vero: ab aditu sedium suarum sunt fugati Hungarorum in Moraviam irruptione, de quibus Luitprandus, testis coaevus ait: „Primo mortis Arnulfi, natique ejus ordinationis anno (900) Hungari magno collecto exercitu, Maravanorum gentem — sibi vendicant, castra diruunt, Ecclesias consumunt." Lib. II. cap. 1.

Moraviam a Hungaris obtentam fuisse, testimonio Constantini quoque Porphyrogenetae, qui circa annum 954-um scripsit, luculentum est: „Post hujus autem Spendoploci mortem (Anno 896-o) anno uno in pace exacto, orto deinde dissidio et bello civili funditus eos (Moravos) invadentes Turcae (Hungari) exstirparunt, regionemque eorum occuparunt, quam hodiernam usque diem incolunt" inquit de adm. Imp. cap. 30. Confitentur Scriptores Moravi, Ducem Toxum. (al. Takson) Welehradum obtinuisse, arces Moraviae, ac oppida, usque montanas regionis partes, occupasse: „Moravis de novi regis electione certantibus, — non deerant Hungari — sensim irrepere in regnum, et quidquid trans Wagum Moravorum erat, quasi rem derelictam suo asserere juri. — Trajecto Teya flumine in Moravicas effusi ditiones, profligatisque limitum custodibus, omnem Teyae contiguam regionem ad usque Welhradum horribili vastatione percurrerunt. — Hungari in inferiori Moravia urbibus et castellis partim deditione in potestatem redactis, totoque illo trans Moravam nobilissimo terrarum tractu ad confluentem usque Danubii occupato, — pacem obtulerunt Moravis, quam et pepigerunt hac lege: ut sibi ea retinere liceret, quae bello cepissent; adpromittentes e contra omnes, qui occupata in regione superessent de Moravis incolae, suo sub imperio incolumes servaturos. — Atque ita prior Moraviae pars in Hungarorum devenit potestatem: excepta solum septemtrionali plaga, qua parte magis montosa et syl-

vestris, ob idque accessu difficilior est, et castellis aliquot paucis, in arduo sitis, Buchloviensi, Brunensi Znogmensi, Kravihorensi et aliis. — Anno 947. Dux Ungarorum, Toxis, ad Welehradium substitit urbem quondam florentem regiaque sede inclytam, — neque prius discessit, quam labefactata ab incendio murorum parte, denuo restaurata, mumimentum suo firmasset praesidio. — Anno 952. Continebat hoc tempore in officio Moraviam pro Toxo, Hungarorum Duce, quidam ejus gentis regulus Bulzti, sive Bulziko. Eum ego existimo ipsissimum Bolusidem esse, qui ab Ottone (A. 955) captus et in crucem actus est," Ita Stredowszky l. c. p. 414—27. 513. 518. — Sed en Diploma: „Notum sit omnibus christianis tam praesentis temporis, quam subsequentis evi, in firmitatem facti, quod ego Brachizlaus, filius illustris boëmorum ducis, Considerans, robur et fortitudinem non esse in homine, nec victoriam procurari ab homine; verum omnia, que victoriose et feliciter geruntur, solum modo evenire per Deum, cujus omnipotentiae nulla est terminatio; idcirco profligationem ungarorum de terra nostra Moravia ipsius tantum auxiliante brachio factam esse, ingenuo profiteor. Illacrimavi sane et intimo corde sum perculsus, quando videbam, loca illa sacra, ubi cepit christianitas per eosdem ungaros, tum paganos, devastata et diruta, atque in ruderibus dissipata jacere et ecclesias in illis partibus terre nostre omnes ad unam spoliatas et profanatas existere; et devovi pio meo tum proposito, magnam spoliorum copiam ab eisdem vastatoribus et depredatoribus receptam in reedificium et restaurum predictarum ecclesiarum impendere, deponendo ipsam super altari ejus, cui ablata, atque quo opitulante recepta esse dignoscuntur. Hinc est, quod ego Brachizlaus dux Moraviensis — etiam ecclesie Sancti Petri in Olomuci et capelle, que est in honore b. Clementis constructa ibidem, eam dotis suae restitui fecimus portionem, quam ipsi ex collatione antiquorum hujus terre principum concessam esse, scripto et oretenus veraciter didicimus; videlicet circuitum in conterminio ungarorum juxta fluvium Morava, ubi alius fluvius, qui Tye nuncupatur, in eandem profluit, cum loco Tyn, cultoribus plane deserto. Sed

postquam etc. Et haec restitutio et collatio mea facta, est ex consensu et sub sigillo domini Udalrici illustris Ducis boëmorum, karissimi progenitoris nostri, nec non sub anathemate reverendi Patris Hizonis, Pragensis episcopi, quod in omnes sententia edixit canonica, si qui hanc nostre benignitatis largitionem sua perversitate audebunt immutare vel annullare. Amen. Actum in Olomuci praesentibus Hizone Episcopo. Duce de Polonia. Velz comite. Thazz comite." etc. E fragmentis Monsianis. Litt. III. In memoriam victoriae de Ungaris relatae idem Bretislaw etiam Ecclesiam de Spitinow dotavit eodem 1030-o anno. E Chronico M. S. sec. XIII. Ast Brodam Hungaricam, hujusque tractum possederant Hungari Salamone, et Geysa etiam regnantibus, ut alias docui de limitibus regni agens. Limites reformavit S. Ladislaus, de quo Ludovicus M. tradidit: Partes regni nostri in ipsis confiniis Bohemiae habitas, et per Bohemos occupatas, ab eisdem Bohemis per suas veras metas per sanctissimum regem Ladislaum positas et erectas recuperando." Cod. Dipl. tom. IX. vol. V. ad an. 377.

III. Instauratio Episcopatus Nitriensis altera.

§. 23. In subversione per Hungaros illata Ecclesiae Nitriensi, cum arce, in qua sita est, parsum: accolis ipsorum virtuti, ac potentiae semet dedentibus. Casum Belae regis Notarius sequentibus descripsit: „Tunc omnes Sclavi, habitatores terrae — propter timorem Hetumogerorum, se sua libera sponte subjugaverunt eis; nullo manum sublevante, et ita cum magno timore ac tremore serviebant eis, ac si olim Domini eorum fuissent." Cap. XXXVIII. Tum: „Zubur vero Dux Nitriensis, dum fugiendo contra eos pugnare vellet, per lanceam Cadusae cecidit et captus in custodiam traditus est; ceteri vero in civitatem inclusi, qua-

si muti remanserunt. Alio die Zuard, Cadusa et Huba, armata multitudine exercituum, ceperunt fortiter expugnare civitatem Nitriam multis modis; et dedit eis Dominus victoriam magnam, et pugnantes intraverunt eam et fusus est per eos ibi sanguis multorum adversariorum. Tunc iracundia ducti Zuburium, ducem illius provinciae, quem nudius tertius ceperant, supra montem excelsum ducentes, laqueo suspenderunt. Unde mons ille, a die illo usque nunc mons Zubur nuncupatur. Et propter hoc factum timuerunt eos omnes homines illius patriae, et omnes Nobiles filios suos obsides dederunt, et omnes nationes illius terrae se subjugaverunt sibi usque ad fluvium Wag, et quia gratia Dei antecedebat eos, non solum ipsos subjugaverunt, verum etiam omnia castra ceperunt, quorum nomina haec sunt usque modo: Stumrey, Colgouccy, Trusun, Blundus, et Bana; et ordinatis custodibus castrorum, iuerunt usque ad fluvium Morawa, et firmatis obstaculis constituerunt terminos regni Hungariae usque ad Boronam et usque Saruvar. Cumque adepta victoria reversi essent — Dux Arpad consilio et petitione suorum Nobilium donavit, accepto juramento infidelium, terras in diversis locis praedictis infidelibus, de partibus Nitriae ductis, ob ne aliquando infideliores facti repatriando nocerent sibi fidelibus, in confinio Nitriae habitantibus." Ibid. cap. XXXVII.

§. 24. Quod Ecclesia Nitriensis acephala manserit, in causa praecipue fuerat Bavariae Archiepiscopi, in Moraviam quoque jurisdictionem arrogantis, pertinacia; quemadmodum e literis episcoporum ad sedem Pontificiam datis clarum praepri-

mis est: „Communis, inquit, gemitus, et generalis dolor angustat, quos Germania et tota tenet Norica, quod unitas Ecclesiae dividitur scissura: est enim, ut praemisimus, unus episcopatus in quinque divisus. Ideo, si quod fraus maligna Sclavorum calliditate adduxerat, justitia vertat“ l. c. Hatho vero Moguntinus Archi praesul, ac Germaniae Primas ita obtendit: „Pietati vestrae intimamus, quod fratres et patres coëpiscopi nostri Bavarienses, se apud nos conquerentes et alta suspiria trahentes gemebant, qualiter Moravienses populi, Francorum potestati rebelles, jactent se ab illorum consortio esse divisos, et seorsum Metropolitano glorientur, a vestra concessione, esse sublimatos, cum nunquam Metropolitana sedes inter illos haberetur; sed semper illorum provinciae ac dioecesi cohaererent, — Unde poscimus, ut vestra consolatio illorum moerorem ad laetitiam reformet, et Moravienses, qui vestra concessione inflati aliorum episcoporum consortia refutant, ad humilitatis viam illos corrigendo deponat, ut tandem cognoscant, cui dominatui subjici debeant.“ A. 901. Cod. Dipl. tom. I. p. 238.

Causa altera fuit, quae inter Bavaros ac Moravos, Hungaris unitos, recruduit hostilitas, omnem Sacerdotum aditum impediens: uti ex eorundem Bavariae Praesulum literis patet: „Ipsi multitudinem Ungarorum non modicam ad se sumserunt, et more eorum capita suorum pseudo — christianorum penitus detonderunt, et super nos christianos immiserunt; atque ipsi supervenerunt, et alios captivos duxerunt, alios occiderunt; alios poena carcerum, fame et siti perdiderunt, innumeros vero exilio deputaverunt, et nobiles vi-

ros et honestas mulieres in servitium redegerunt; Ecclesias Dei incenderunt, et omnia aedificia deleverunt, ita, ut in tota Pannonia nostra, maxima provincia, tantum una non appareat Ecclesia prout episcopi a vobis destinati, si fateri velint, enarrare possunt, quantos dies transierunt, et totam terram desolatam viderunt." Anno 890—902.

§. 25. Leo VII. PP. ad potestatis sacrae apicem evectus, praecipuae duxit curae, rebus Moraviae turbatis, controversiae Metropolitanae fine imposito, prospicere. Gerhardo, Passaviensium Episcopo, animos additurus, Archiepiscopalem confirmat dignitatem, aliosque Praesules ad ferendum illi subsidium exsciscit: Leo Episcopus — Pallium autem fraternitati tuae ad missarum solemnia celebranda concedimus, quo tibi, Ecclesiae tuae privilegiis in suo statu manentibus, uti largimur etc. Anno 937. Cod. Dipl. tom. I. p. 245. Tum: Leo Episcopus — Regibus, Ducibus, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, pari etiam modo Egilolpho, Juvaviensis, Isingrino Ratisponensis, Lantperto Frisingensis, Visundo Seborensis Ecclesiae venerabilibus Episcopis, et ceteris per Galliam, Germaniam, Bavariam, Alemaniam commorantibus, — vestram fraternitatem monemus per hanc nostram Apostolicam jussionem, ut Gerardo episcopo, cui vicem nostram in omnibus finibus vestris commisimus, in cunctis, quae ad Ecclesiasticum ordinem pertinent, obedientes et adjutores sitis" ac A. 937. l. c. p. 247—252.

§. 26. Eundem Gerardum, Passaviensem A. Episcopum, adversus Juvaviensis Metropolitae praetensiones, Archiepiscopali dignitate communivit

Agapitus etiam II. Papa, praerogativae illius origginem exponendo, ac epiarchiae limites strictim definiendo: Literae ipsius solemnes ita sonant: „Agapitus Episcopus — fratri dilectissimo, et reverentissimo, Gerardo, S. Lauriacensis Ecclesiae Archiepiscopo, in christo salutem. Petitiones tuas pro renovandis Ecclesiae tuae privilegiis venerabilis Fuldensis Monasterii Albas, Hademarus, huc causa orationis veniens, cum magna benevolentia nostrae experientiae suggessit, pariterque jurgia et disceptationes gravissimas inter te ac Heroldum A. Episcopum (Salisburg) pro utrinque suscepta in una provincia pallii auctoritate, exortas, flebiliter nunciavit; quod et ipsi ex debita pastorali cura nimio cordis moerore dolemus, detestabiliterque profanamus. — Notum est, literisque penes nos commendatum, quibus ecclesiarum locis dignitas pallii ab hac Apostolica sede debeatur. Lauriacensem autem urbem antiquitus metropolitanam fore, et Archiepiscopi sedem, cui sanctitas tua praeesse dignoscitur, sicut in privilegiis authenticis ad nos usque a te directis legimus; ita quoque inventis quibusdam exemplaribus chartae vetustate admodum attritis, in archivo S. Petri reperimus, hanc etiam in exordio nascentis Ecclesiae, et immanissima christianorum persecutione, a Doctoribus istius sedis catholicae fidei novimus rudimenta percepisse, et exinde a succedentibus praedicatoribus in superioris atque inferioris Pannoniae provincias ejusdem fidei emanasse gratiam. Quibus etiam duabus provinciis, illarumque Pontificibus usque ad tempora Hunnorum, non alius, quam Lauriacensis praefuit Archiepiscopus; quorum barbarica feritas non solum praedictam Lau-

riacensem civitatem, verum etiam in circuitu adjacentes regiones depopulavit atque funditus desolavit. Inde quidem contigit, ut episcopi hac necessitate compulsi, sede illa deserta, atque alias (Passavium) translata, simul etiam Archiepiscopalem ipsis deferrent honorem. Modernis autem, nec multum retro elapsis temporibus, vacante ab Apostolico Vicario Bavariorum regno, Arno primus Salisburgensis Ecclesiae subrogatur Archiepiscopus. Haec testatur annosa memorialis sacri scrinii Historia. Modo autem mortalibus, propitiante Christo, ab hostibus S. Lauriacensi Ecclesiae quiete et habitandi securitate concessa, non alibi quam ibidem Fraternitatis tuae cathedram oportet haberi. Quapropter reinthronizamus eidem Eccclesiae SS. Patrum videlicet Praedecessorum nostrorum, sed et beatae memoriae, Domini Leonis Papae, a quo Excellentia tua pallio et privilegio donata est, sanctiones atque statuta exsequentes, ac saepe dictam Lauriacensem S. Ecclesiam potestate ac vice B. Petri, Apostolorum Principis, absoluimus, et archiepiscopamus, et in culmen metropolitanum sublimamus, denuoque tibi pallium cum praesenti praecepto, secundum usum prius cencessum, successoribusque tuis perpetuo tenendum tradimus. Hisque ex amussi ita ad justitiam reintegratis, decrevimus rixas vestras et dissensiones, praefata ex causa derivatas dirimere, atque in fraternum amorem vos reconciliare sic, ut utrique vestrum modo susceptus servetur pallii honor illaesus. — Distribuere atque determinare ita vobis Parochias bonum et proficuum exsistimamus: divisis duabus Noricae regionis provinciis, Heroldo Archiepiscopo occidentalis Pannoniae cura committatur et custodia, tibi

autem et successoribus tuis, propter emeritam antiquitatem sanctae Lauriacensis Ecclesiae, cui jure juniorum reverentia assurgit, in benedictionis et sedis ordine praelatis ac praepositis providentiam orientalis Pannoniae, regionemque Auarorum atque Marahorum, sed et Sclavorum, qui modo christiani, vel adhuc per baptisma Christo lucrandi sunt, circum quaque manentium, credimus, nostramque Apostolicam vicem in illis partibus praedicandi, ubi opus est, episcopos constituendi — delegamus" Anathemate minatus est denique Aloldo Salisburgensi, si huic constitutioni Pontificiae haud aquiesceret. Anno 946. V. Cod. Dipl. tomo I. p. 253.

§. 27. Litem annosam nihilominus iteravit adversus Passaviensem Fridericus Salisburgensis A. Praesul, eo, uti videtur, quod Lauriacum, Hungarorum incursionibus obnoxium, is haud repetierit, ad totamque Pannoniam Salisburgensi, Moraviam vero Pragensi, nunc erectae, sedibus subdendam Benedictum VI. PP. induxit. Constitutionem hanc Otto I. Imp. A. 974. suo communivit decrecto. Pannoniae Salisburgensi subjectae testes sunt ipsius Benedicti Papae literae, quae sic sonant: Benedictus — Apostolicus. —— Concedimus itaque vicem Apostolicam Friderico Salzburgensis Ecclesiae Antistiti ejusque successoribus in tota Norica provincia, et in tota Pannonia, superiori videlicet et inferiori ita, ut nulli liceat in praefatis provinciis sibi usurpare pallium, nec episcopos ordinare, praeter praefatum Archiepiscopum, ejusque successores." Cod. Dipl. tom. I. p. 258—9. Alterius documentum esto: „Quod Pragensis Episcopatus ab initio per

totum Bohemiae ac Moraviae Ducatum unus et integer est constitutus, et tam a Papa Benedicto, quam a primo Ottone Imperatore confirmatus." Vide Diploma infra.

§. 28. Haec inter Salisburgensem ac Passaviensem Episcopos de Pallio pertinax contentio Hungaris facta est maxime salutaris: Peregrinus enim, communiter Piligrinus, Passaviensis, ab incolis Hungariae repetitim invitatus, amissa privilegia sudore Apostolico revindicanda constituit: complures evangelii praecones tum e statu Monachico, tum etiam Canonicorum regularium, submisit; quorum opera brevi quinque millia Christo lucri fecit; uberem hunc fructum eundem Benedictum PP. edocuit, ad praerogativasque Lauriacensis Ecclesiae sibi redintegrandas flexit an. 879-o. Verba ejus sunt: Benedicto Pontifici Pilgrimus, S. Lauriacensis Ecclesiae humilis servitor. — Literis et internunciorum committo indiciis, quod a neophyta ungarorum gente huc ire prohibeor, apud quam, foedere pacto, sub occasione pacis, fiduciam sumsimus, operam exercere praedicationis. — A praefata Ungarorum gente multis praecibus ipse invitabar venire, aut missos meos in opus Evangelii illuc dirigere. Ad quos dum transmitterem satis idoneos viros, ex Monachis, canonicisque presbiteros, atque de singulis ecclesiasticis gradibus clericos — tantum divina gratia fructum statim ministravit, ut ex eisdem nobilioribus ungaris utriusque sexus, catholica fide imbutos, atque sacro Baptismate ablutos, circiter quinque millia Christo lucrarentur. Christiani autem, quorum major pars populi est, qui ex omni parte mundi illuc tracti sunt captivi — modo cer-

tatim, nullo obstante timore, offerunt eos (parvulos suos) baptisare, — christiano more oratoria audent construere, — Factum est, ut pene cuncta ungarorum natio sit prona ad percipiendum fidem sanctam; sed et aliae Sclavorum provinciae ad credendum promtae. Et est ibi messis quidem multa, operarii autem pauci. Inde quoque visum est, jam necessarium esse, quatenus vestra Sanctitas, illic jubeat aliquos ordinari Episcopos. — Mihi autem pallium et infulam pontificalem, quod speciale munus etiam praedecessores mei accipere soliti erant, per legatos meos benigno animo dirigere dignetur. pariterque etiam privilegia apostolicae auctoritatis meae Ecclesiae, more praedecessorum vestrorum, roborari supplico et confirmari.“ V. Cod. Dipl. tom. I. p. 200—2.

§. 20. Nuncio hoc Benedictus VII. PP. exhilaratus plurimum, cuncta petita ubertim impertitur. Piligrinum Lauriacensem A. Episcopum, vicariumque suum Apostolicum dicit, pallio exornat, ac optatum eventum cunctis per Germaniam Archi Praesulibus notificat. E prolixa illius epistola huc maxime faciunt verba haec: „Praenominati S. Lauriacensis Ecclesiae Archiepiscopi postulatio antiqua Apostolica auctoritate commendatur, et praeterea quod justum esset, pariter etiam visum est, ut ad fructificandas Deo gentes, ex noviciis cultoribus fidei ungarorum et M o r a v o r u m sive etiam aliis multis provinciis Sclavorum, suae parochiae finitimis, illic ordinatis Episcopis, secundum quod antiquitus dispositi erant, eis hunc constitueremus Archiepiscopum. Quoniam autem Salisburgensis Metropolis abusa est subjectione S. Lauriacensis Ecclesiae Pontificii, obliterata et attenuata sua di-

gnitate ex devastatione barbarorum, quam propterea perceptis Apostolicis privilegiis nequaquam patimur privari, cum et priora sint Salisburgensibus, et ideo auctorabiliora — nos ideo S. Lauriacensem Ecclesiam, ejusque rectores, jam Archiepiscopos a modo perpetim ab omni Salisburgensis Ecclesiae Praesulum subjectione ac ditione absolvimus, et ad honores Metropolitae sublimamus.“ Denique terminos eosdem utrique, quos Agapitus II. figit, Pannoniam inferiorem, ac Moesiam (Hungariae Cis Danubianae partem orientalem) Lauriacensi assignando. V. Cod. Dipl. tomo I. p. 266—278. Constitutionem hanc Pontificiam mox anno 985-o. Otto II. Imperator ratam, sanctamque habuit: ibidem p. 270. sq.

Observandum hic claritatis ergo, partem Hungariae Cis Danubianae, infra flumen Granum, Pannoniae inferiori oppositam, eo tempore diversis compellatam fuisse nominibus; jam Daciam, jam Getarum terram, jam etiam M y s i a m; sat sit unicum Dionem Chrysostomum testem laudare dicentem; „Etenim longam his diebus viam ingressus sum versus Istrum et Getarum regionem seu Mysorum“ Orat. XII. apud Wesel. adnot. ad Itin. Hierosol. p. 564. Hanc M y s i a m atribuerunt Romani Pontifices A. episcopo Lauriacensi praeter Avariam et Moraviam inferiorem, quae juris fuit Metropolitani Sirmiensis Cf. Salagi tomo IV-o.

§. 50. Quod idem Piligrinus nullos in Hungaria, authoritate fultus papali, constituerit episcopatus; cum exilis conversorum numerus, tum vero hostilitas inter Hungaros et Germanos erumpens obfuerant: „Otto divina favente clementa Rex. Notum sit cunctis tam praesentibus quam et futuris Christi fidelibus, qualiter Piligrinus sanctae Pataviensis Ecclesiae Venerabilis Praesul, epi-

scopatus sui pertinentiam in orientali plaga, Barbarorum limiti adjacentem, creberrima eorum devastatione infestari, nostrae conquestus est pietati; a quibus barbaris nostri quoque regni tempore, miserabili lamentatione adiecit, tam inrecuperabili se damno laesum in interfectione, ac direptione Ecclesiae suae familiae, praeter innumerabilia depraedationum et incendiorum dispendia, ut absque habitatore terra episcopi siluescat." A. 983. Cod. Dipl. tom. I. p. 173. Causis his dandorum Hungariae Episcoporum gloria Stephano Proto regi fuit relicta. Ast Moraviae, parte una (montosa) Bohemiae, altera Hungariae obnoxiae, unum constituit episcopum, Moravicum dictum. Meminit hujus Cosmas Pragensis sequentibus: „Fertur autem, quod fuisset in Moravia, ante tempora Severi quidam episcopus, ut reor, nomine Wraczek." (p. 9037. edit. Menken.) Pluribus edisseruit Stredowszkius in ecclesiastica Moraviae Historia p. 564 —5. ad an. 976: „Porro longe aliam, quam nunc sit, Moravico Episcopatui Peregrinus mensus est dioecesim: addita est Wartislao sub pastoralem curam magna pars Hungariae, ad ipsum Wagum excurrens, — quousque vero Wratislaus Polessowiensi praesedit cathedrae, multum conversioni Hungarorum erat proficuus, atque Moravorum reliquiis intra Wagum amnem et montis carpatici radices considentibus, supra modum salutaris. — Postquam ex talento sibi credito fructum Domino reportasset centuplum, fractus labore, quem laudabiliter quinquennio in sua cathedra exegerat, ad aeviterna evadit praemia." p. 570. Uno Moraviae Polessovii constituto episcopo Nitriensem ecclesiam acephalam necesse fuit permanere.

§. 31. Ditmaro Pragensium Praesule 2-a Januarii Anno 980-o fatis functo, Dinastarum Bohemicorum soboles, nomine baptismali Wortech, v. Woitech, confirmationali Adalbertus, ad implendam cathedram rapitur, atque Festo Apostolorum Petri ac Pauli Veronae consecratur. Post obitum vero Wratislai Praesulis Moravici, per Boleslaum, Bohemiae Principem ad capessendam Moravicam etiam sedem compellitur: Benedicti VII-i Papae consensu, et Ottonis II. Imperatoris confirmatione accedentibus Anno 984—5. Haec Moravici Episcopatus cum sede Pragensi unio usque annum 1063-um praestitit. „Morte Wratislai, ait Stredowszkius, ad Boleslaum Bohemiae Moraviaeque Ducem delata, confestim novae cogitationes subiverunt Principis animum, si quo modo Moraviam, quoad secularia suo jam dominatui unitam, posset etiam quoad dioecesim, Pragensi conjungere Episcopatui, ut sic firmiori nexu Moraviam in Bohemorum Principum contineret officio. Idcirco ordinata Romam legatione Benedictum VII-um Papam, tum quoque ad Caesarem Ottonem II-um in Italiis commorantem, instantissime supplicat. — Cessit feliciter negocium: Benedicti VII. Papae Apostolicis literis, et Ottonis II. Imperialibus tabulis firmatum. — Haud grata haec Adalberto acciderant statuta: perpendens enim S. Praesul Moraviam et partem Hungariae intra Vagum et Carpatum montem, novae Parochiae latifundia, censuit tanto oneri, pro rei exigentia, suas nequaquam suffecturas vires. — Mansit Moravica Ecclesia Pragensi copulata usque 1063. quae temporis periodus facit octuaginta duos annos.“ l. c. p. 570. Hoc jure videtur mihi Adalbertus operam suam evangelicam Geysae Hun-

garorum Duci, repetitim obtulisse: de quo Biographus S. Adalberti, Scriptor coaevus cap. 5. ait. „Miserat his diebus ad Ungarorum seniorem Magnum (Seigneur, Geysam Ducem) imo ad uxorem suam, quae totum regnum viri manu tenebat, et quae erant viri, ipsa regebat, qua Duce erat christianitas coepta, sed intermiscetur cum paganismo polluta religio.“ Et Biographus posterior ejusdem ad an. 994. „Non tacendum, inquit, quod juxta positis Hungaris nunc nuncios suos misit, nunc se ipsum obtulit, quibus etiam ab errore suo parum mutatis, umbram christianitatis impressit.“ Aevi proin hujus intervallo quoque Nitriensis Ecclesia praeposituralis perstitit.

§. 52. Anno 1063-o Gens Moravica Severum Pragensem Episcopum factum, ut Episcopatui Moravico nuncium mitteret, enixis praecibus flexit. Alexander II. Papa, benignum supplicibus dedit consensum atque Joannem nomine, Moravico praefecit episcopatui, qui anno 1065. Polessewino sedem Olomucium transtulit. „Non cessarant, prosequitur idem Stredowszkius, Moraviae Proceres et Clerus Wratislaum, qui Spitigero fratre nuper mortuo, ex Olomucensi praepositura ad Pragensem transierat thronum, fatigare precibus, ut jure suo in Moraviam Severus, Pragensis Praesul, recederet. — Qui laudabili lenitate, diminutionem suae dioeceseos longe post habens animarum jacturae, Alexandro Papa adprobante, proprium Moravis concessit Antistitem, Joannem, Pragensem Canonicum, et Wratislai Ducis Capellanum, qui sedem episcopalem Moraviae ex Polessow transtulit Olomucium praeter propter anno 1065.“ l. c. p. 574—5.

§. 33. Jaromirus, Wratislai Bohemiae regis frater uterinus, Archiepiscopatum Pragensem, hujusque confirmationem in synodo regia Moguntina adeptus, assumto Gerhardi nomine, separationem hanc aegerrime tulit: ac Joanne Olomucensi defuncto, ut unio redintegretur, tum Romae cum etiam in Aula imperiali, egit, obtinuitque. Machinationes ipsius Cosmas Pragensis amplissime descripsit: „In Concilio, inquit, Moguntino Pragensis Praesul Jaromir scripta suae antiquae querimoniae repraesentat de Maraviensi Episcopo, Joanne supra memorato. Qui quamvis eodem anno jam ab hoc seculo migraverat, tamen valde praecavens in futurum praedictus Praesul, et agens per amicos pulsat aures Caesaris, ne iterum in eodem loco alter subrogetur episcopus. — Ad cujus querimoniam — novum antiquo fere ejusdem tenoris addit privilegium, et signo imperiali confirmat, ut in sequentibus patebit. Cujus privilegii formam, si huic operi nostro inseramus, non superfluum fore existimamus; continet enim hunc textum;

„In nomine Sanctae et individuae Trinitatis, Heinricus tertius, divina fauente clementia, Romanorum Imperator Augustus. Regio nomini et Imperatoriae dignitati congruere novimus, ut ecclesiarum Dei utilitatibus ubique opitulantes, damna et injurias earum, quacunque necesse fuerit, propulsemus. Quapropter universis Dei, nostrique regni fidelibus, tam futuris, quam praesentibus, notum esse volumus, qualiter fidelis noster Pragensis Episcopus Gebhardus, saepe confratribus suis et Coëpiscopis, ceterisque Principibus nostris, ac novissime nobis conquestus est,

quod Pragensis Episcopatus, qui ab initio per totum Bohemiae ac Moraviae Ducatum unus et integer constitutus, et tam a Papa Benedicto, quam a primo Ottone Imperatore, sic confirmatus est; pustea antecessorum suorum consensu, sola dominantium potestate, subinthronizato intra terminos ejus novo episcopo, divisus esset et imminutus. Qui cum Moguntiae coram legatis Apostolicae sedis, praesentibus nobis ac plerisque regni nostri Optimatibus, tandem querimoniam intulisset, ab Archiepiscopo Vezlone Moguntino, Sigevino Coloniensi, Egilberto Treverensi, Liemaro Bremensi, ab Episcopis quoque Ciederico Virdunensi, Conrado Trajectensi, Udalrico Eistetensi, Ottone Ratisbonensi, cum assensu Laicorum, Ducis Bohemorum Wratislai, et fratris ejus Conradi, Ducis Friderici, Ducis Lutoldi, Palatini Comitis Rapotae, et omnium, qui ibidem convenerant, primitiva illa Parochia cum omni terminorum suorum ambitu, Pragensi sedi est adjudicata. Termini autem ejus occidentem versus hi sunt: Jugast, quae tendit ad medium fluminis Chub; Zedleae (alias Zelza) et Luiscua, et Dasena, Liutomerici, Leinuzi usque sylvam, qua Bohemia limitatur. Deinde ad Aquilonem hi sunt termini: Psouane, Chonuati; et altera Hrovatizlane, Treboanc, Poborone, Dedossene usque ad mediam sylvam, qua Mileianorum (Misniae) occurrunt termini. Inde ad orientem hos fluvios habet terminos Bug scilicet et Zlir cum Cracova civitate, provinciaque, cui Wag nomen est, cum omnibus regionibus ad praedictam urbem pertinentibus, quae Krakova est. Inde Ungarorum limitibus additis usque ad montes, quibus nomen est Teitri (Tatra) di-

latata procedit. Deinde in ea parte, quae meridiem respicit, addita regione Moravia, usque ad fluvium, cui nomen est Wag, et ad mediam sylvam, cui nomen est Mure, et ejusdem montis eadem parochia tendit, qua Bavaria limitatur. Mediantibus itaque nobis et communi Principum aspirante suffragio, pactum est, ut Dux Bohemiae Wratislaus, et frater ejus Conradus, supradicto Pragensi Episcopo, fratri suo, parochiam judiciario ordine requisitam, ex integro reprofiterentur et redderent. Proinde nos rogatu ejusdem episcopi rationabiliter inducti, Pragensis Episcopatus redintegrationem nostrae imperialis auctoritatis edicto illi ac successoribus ejus confirmamus et stabilimus, inviolabiliter decernentes, ne ulla post haec conditionis persona, vel ulla societas hominum Pragensi Ecclesiae quicquam sui juris in praenotatis terminis alienare praesumat. Cujus redintegrationis et confirmationis autoritas, ut omni aevo stabilis et inconcussa permaneat, hanc cartam inde conscribi, quam (sicut infra apparet) manu propria laborantes impressione signi nostri, jussimus insigniri. Data III. Calend. Maji An. Dom. Incarnat. MLXXXVI. Indictione IX. Anno autem Domini Heinrici, regni quidem XXXII. Imperii vero III.

Signum Domini Heinrici tertii Romanorum Imperatoris Augusti, quod ego vidi ipsum Caesarem suis manibus annotantem, in privilegio Pragensis Episcopatus (Monogramma). Ita Cosmas l. c. p. 2057—2060.

§. 34. Haec reunio ultra annos quatuor haud perstitit: anno 1090 Wratislaus, Bohemiae rex,

fratris sui fastum, injurias diversas, ferendi impos, Weclum aulae suae Capellanum, Episcopum Moraviae (Olomucensem) constituit. His Gerhardus in furorem actus, Romam denuo petit; sed ad Ladislaum, regem nostrum, opis ac subsidii impetrandi causa, digressus, vitae turbulentae finem facit Strigonii. Causidicus antecessoris sui, idem Cosmas, adjuncta percenset: „Jaromir tantum dissidebat animositate, ut saepe festis diebus Rex Episcopum non haberet, qui sibi coronam imponeret. Hac necessitate simul et ambitione rex compulsus — subinthronizat Capellanum suum W e c l o n e m, in territorio M o r a v i e n s i, Episcopum. Quo in pacto palam fecit notabile, non solum se sprevisse, quod ipse coram Imperatore et Episcopis collaudauerat, ut unus foret uterque Episcopatus; verum etiam P a p a e C l e m e n t i s violasse privilegium, quo ejusdem terminos Episcopii corroboraverat. Hinc, ut applorаret Apostolico illatam Ecclesiae injustitiam, Praesul Jaromir iturus erat Romam; sed consilio cum suis familiaribus inito, prius adit antiquum amicum, W l a d i s l a u m r e g e m P a n n o n i c u m, et patefaciens ei suae Ecclesiae damnum, postulat ab eo ad romanum iter auxilium. Inscius heu fatum sibi jam superesse propinguum. Nam prima die, qua regem adiit, nimium corporis incidit in molestiam, Et quia prope urbem erat Strigonium, illic mittit eum rex navigio, committens curam ejus urbis Episcopo. — Septimo jam die advesperascente mundo migrauit. Sol Julii senas, qua tangit luce Calendas“ l. c. p. 2064—65.

§. 35. Wecloni Moravorum Olomucii episcopo, successor datus est Anno 1091-o Andreas

Dubravicius; quem jam serie ininterrupta, in sede Olomucensi, hodiernam usque diem, successores exceperunt; catalogus ipsorum ad quaestionem, quam agitamus, neutiquam spectat. — Ex hactenus satis ubertimque disputatis, Praepositurálem Ecclesiam, Nitriensem Episcopatui Moravico fuisse obnoxiam, clarere mihi videtur. Ast quandonam, ab eodem separata, instaurataque fuerit, arduum magis confectu.

§. 36. Auctor notitiae Episcopatus Nitriensis, saepe laudatus, instaurationem ejus Proto-regi Stephano asserere non dubitat (p. 90. sq.) sequentibus rationum momentis: 1) Id fert traditio communis: Episcopatum a S. Stephano esse fundatum, non tamen et dotatum. 2) Difficile creditu Hungariae Apostolum Provinciam Nitriensem sine condito episcopio reliquisse. 3) Suffragantur etiam literae donationales capitulo Nitriensi ab eodem concessae. 4) Bestritus, qui seditione Vataiana Martyr obiit, alter episcopus, quam Nitriensis, esse non potuit. 5) Dioecesis Nitriensis ad Strigoniensem tam ob finium distantiam, quam et aditum difficiliorem, referri haud potuit. 6) Episcopatus Nitriensis a S. Rege fundatus, temporum adversitate praepropere intercidit.

§. 37. Ast rationes istae, meo videri, Nitriensis cathedrae instaurationem per S. regem factam, neutiquam evincunt; nam 1) Traditio nullis factis, monumentisve Historicis innixa, vulgaris, fidem facere nequit: quodnam vero est episcopatus a S. Stephano fundati vestigium? Nullum. Quinam vetusti fundationis testes? Nemo. Librata sane hanc in rem Georgii Pray sententia: „Non fuit

Episcopatus Nitriensis a S. Stephano sive conditus, sive instauratus, — sed solum Praepositura Major, qualis sub Colomanno rege fuit, et Posoniensi simillima. Etenim Colomanni lex XXII. vetat judicium ferri fieri, nisi in sede Episcopi et Majoribus Praeposituris, ut Posonii et Nitriae. Lex aperte distinguit inter sedem Episcopi et Majores Praeposituras; non id factura, si Episcopatus Nitriensis vacasset: vacante enim sede non cessat Sedes Episcopi aut Episopatus: ergo Posoniensis et Nitriensis Praeposituraе erant similes, et a sede Episcopi distinctae, ergo nullus ante Episcopatus Nitriae a Stephano conditus, vel instauratus, quemadmodum nec Posonii. Et quia Posoniensi Praeposituraе postponitur, haec videtur illa fuisse magis praecellens, proinde Nitriensis Praepositura minus, quam Posoniensis ex dignitate Episcopatus participans. Caeteroquin, si Nitriae fuisset a S. rege conditus aut instauratus Episcopatus, et subin a Vicario tantum administratus, sine omni dubio praeponenda erat Posoniensi. Isthinc suapte sequitur, Nitriensem Ecclesiam ex collegiata in cathedralem fuisse conversam. Quaero etiam, cur capitulum Nitriense, si Episcopatus hic a Stephano conditus, aut instauratus est, non habuit Praepositum ut caeterorum Episcopatuum capitula? Cur dioecesis Episcopi solo comitatu Threnchinensi, et minima particula Comitatus Nitriensis descripta? Vix enim in hoc Parochiae senarium superarunt numerum, quae jurisdictionis fuerant Episcopi Nitriensis; cur etiam totus fere comitatus Nitriensis fuit in A. Dioecesi Strigoniensi? An sanctus Rex profusissimus in res sacras, tam arctos limites huic Episcopatui poneret, ut ex co-

mitatu, a quo et Episcopatum nominari, et in quo civitatem Episcopi esse voluit, vix aliquid haberet? Certe Hartwicus de S. Stephano, Episcopatus fundante, ita scribit (cap. 2.): „Ipse vero rex Episcopia nuper incepta, tam videlicet Archiepiscopalem, quam omnes Ecclesias, amplissimam singulis assignans Dioecesim, — regaliter disposuit.“ Non video prorsus, quo modo Episcopatus Nitriensis, solo Trencsinensi Comitatu, et vix aliqua parte Nitriensis Provinciae, conflatus, cum Hartuici testimonio conciliari possit, si is ab Stephano conditus aut instauratus sit? Cur praeterea noluerit de Ecclesiae, cui sponsam dedit, dote, ac Praeposito providere? — An haec non suadent, Praeposituram in Episcopen, migrasse, Praepositum factum fuisse Episcopum, proinde collegiatam sub S. rege Ecclesiam subin conversam fuisse in cathedralem? Hinc nullus, ad nostra usque tempora capitulo Nitriensi Praepositus, hinc aucti illi limites Dioeceseos, et tenuis in principio proventus (cf. Donationales Geysae II. et Belae III-ii in Codice) locupletati“ Diatribe, p. 41—3. „Si, libet ultra quaerere, Nitriensis Episcopatus a Stephano conditus est, qui fit, ut Zoboriensis Abbatia dioecesis Strigoniensis fuerit (Cf. Collectionem Pontificiam de anno 1332)? Etsi enim S. Rex plura loca sacra ex jurisdictione Episcoporum exemerit, ut Praeposituram Albensem, et Abbatiam S. Martini Montis Pannoniae; non tamen idcirco Praepositura Albensis desiit esse Dioecesis Weszprimiensis, sicut nec Abbatia S. Martini dioecesis Jaurinensis, ad quas ab sui ortu pertinebant. Quare idem de Abbatia Zoboriensi existimandum est. Nam si solum a jurisdictione Episcopi Nitriensis exemta, et jurisdictioni Strigo-

niensis A. Episcopi subjecta fuisset, non cessasset propterea — dioeceseos Nitriensis esse. Hoc si, ut debes, concedis, suopte efficitur, quod Nitriensis Episcopatus a Stephano minime sit conditus.“ Idem epistolae exegeticae p. 39. 2) S. Rex provinciam Nitriensem sine episcopio haud reliquit, Moravico utpote Episcopatui obnoxiam, sicut Posoniensis relicta non est, A. Episcopo Strigoniensi subdita. An S. Adalberti jurisdictionem intercipere, canonicas institutiones, quibus Moravia omnis uni subjecta fuit episcopatui, rex sanctus intervertere potuit? Regionem omnem usque Vagum et radices alpium carpaticarum Moravico episcopatui adscriptam fuisse, Diplomatice constat. §. 33. 3) Literae capituli Nitriensis fundationales probant nihil: sunt enim manifeste apochryphae; a quo demum cunque auctore, credulitate suorum turpiter abuso, contra omnem diplomatices formam, sine teste, ac consule, S. Regi affictae; qui Ecclesias episcopales, non capitula, dotaverat, nec ullum Episcoporum absque larga reliquit dote. Si regioni Nitriensi usque Vagum proprius episcopus fuisset praestitutus: an illa synodaliter Moguntiae, confirmatione Papali Pragensi A. Episcopio adtribui potuisset? An id laturi Reges ac Praesules nostri?? — 4) Bestritum non alium, quam Nitriensem fuisse episcopum, non absimiliter temere praesumitur: fuit is fors Bacsiensis, aut Colocensis Episcopus, Gerardo, Albam festinanti, obvius; Nitriensis eidem occurrere haud potuit. 5) Archiepiscopatus Strigoniensis limites trans Vagum, usque Carpati radices, haud patuisse, lubenter concedimus; episcopatus Moravici (Olomucensis) terminos usque Vagum, ac Carpati radices, exporrectos, defendimus; distantia justo haud majore,

nec accessu difficiliori. 6) Si episcopatus Nitriensis a S. Rege fundatus fuisset, haud intercidisset: regibus enim Hungariae seculo XI-o sanguinis propinguitate nexis, cum Bohemis optime conveniebat: eorum auxilia jugiter experti, vix ullam hostilita tem perpessi: (Cf. Chronica Thurocii, tum alios fontes) Episcopatuum provisio curae singulari fuit. Sed audiamus hoc in argumento rursus lectissimum G. Prayum; „Quaero, an id temporis, dum hostes Dioecesim Nitriensem vastarunt, bona et fundos Episcopatus everterunt, templa profanarunt, Nitria suum a S. Rege fundatum habuerit Episcopum, nec ne? Si habuit: nec Episcopus, nec Episcopatus propterea, quod fundi Episcopatus eversi sunt, et templa profanata, desierunt: sicut eapropter Abbas et Abbatia de Zobor, neutiquam desiit, sed mox refloruit. (V. Cod. Dipl. Tomo II. ad annum 1111)—III. Si non habuit: nec tamen ideo episcopatus debuit desiisse: alioquin post exinanitam per Tartaros Hungariam, Episcopos caesos, episcopatus intercidisse oportuisset magis; atqui non interciderant: Bela IV. confestim Episcopos, qui oves dispersas colligant, nominante, eorumque confirmationem apud Sedem Pontificiam urgente (V. donationales Nicolao legato anno 1249. datas in Codice). Si rex, ut ita dicam, exsul, vacante sede Pontificia, Tartaris omnia crudeliter in Hungaria depopulantibus, regno, supra quam dici possit, exinanito, de Episcopis tanquam religionis et fidei columnis, providit; quis tam levi ingenio erit, ut sibi persuadeat, reges nostros, puta Andream, Belam, Geysam, Ladislaum, Episcopatui a S. Rege condito, non providisse, ab hoste regni vastato?" — Postea calamitatibus belli, quae Hungariam affecerant usque Colomannum lustratis,

concludit: aut nihil damni, aut certe exiguum Nitriensi Provinciae ab his illatum, — ut non brevi tempore reparari et Episcopus pro dignitate potuerit vivere, si quis isthic olim Episcopatus exstitisset; quemadmodum ab Abbate Zoboriensi factum esse ex documento literario supra ostendit." l. c. p. 28 — 40.

§. 38. Ecclesia proin Nitriensis, Moravico Episcopatui tam constitutione Pontificia, quam Imperiali, obnoxia, pace ac concordia inter Hungariae, Bohemiaeque reges durante, separari haud potuit; perstitit ista anno etiam 1098-o Cosma Pragensi teste: „Anno MXCVIII. Dux Brecislaus occurrens Pannonico regi Colomanno in campo, qui dicitur Luczko, multa sunt invicem concionati, placitantes ad placitum utrarumque partium, ac inter se mutuatim datis muneribus renovant antiqua amicitiae ac pacis foedera et a sacramentis confirmant. Ibi Dux Brecislaus suum electum Hermannum Diaconum committit Seraphim Archiepiscopo (Strigoniensi) ordinandum. Qui veniens ad sedem suam urbis Strigoniae, tempore, quo sacri ordines celebrantur, III. Idus Junii, ordinat eum Presbiterum, et me, quamvis indignum, ad eundem similiter promovit gradum" fol. 2079—80. Certum item est, tunc adhuc Colomanni Decreti 1-i articulo 22-o Nitriensem Ecclesiam Praeposituram majorem nominari: „Judicium ferri et aquae in aliqua Ecclesia fieri interdicimus, nisi in Sede Episcopi, et in Majoribus Praapposituris ut Posonii et Nitriae." Decretum hoc emanavit circa annum 1100-um.

§. 39. Sed pax, ac concordia diuturna convulsa Anno 1108. fuerat: Colomanni fratre Almo turbas sciente; patrocinio hujus inductus Henricus IV. Imperator cum Svatoplugo Bohemiae rege arcem Posoniensem impressione subitanea facta cepit, quam Hungari magno aere, motisque copiis redimere sunt coacti; Conrado Urspergensi perhibente: „Anno 1108-o orta simultate inter Colomannum, Regem Pannoniae, germanumque ejus, vocabulo Almum, eo quod uterque sibi potius regiam competere dignitatem, jure gentis illius, contenderit. — Almus regem Henricum adiit, et in auribus totius Senatus -- miserias suas deplorans, Romani imperii magnificentiam in compassionem et defensionem sui flectere curavit. His querelis motus rex Henricus, insuper etiam, quod idem Colomannus fines regni nostri, scilicet in locis maritimis (Dalmatia) invaserit, Ungariam exercitu petit, sed praeparatis multiformiter adversariis, maximeque per obstructa flmninis undique vada, post morosam et cassam obsidionem castri Bresburg poene inacte redit.“

§. 40. Colomannus vicem redditurus in Bohemiam incursionem suscipit; ast hanc Svatoplugus dira hostilitate, ipsi quoque poene fatali, Duce Atha (v. restauratorias ad an. 1119. in Codice Dipl.) ultus repetitim est. Belli calamitas parte maxima Provinciae Nitrien. incubuit. Adjuncta recenset idem Cosmas Pragensis: „Factum est autem, inquit, postquam Henricus reverteretur, soluta obsidione, a civitate Possen (Poson) Cholomannus, Rex Ungariae, non longo post tempore, volens sibi illatas a Zuatopluc Duce ulcisci injurias, intrat Moraviam, eam hostiliter devastare coepit.

Nam cnm Rex Henricus intentus bellicis armis ex omni parte cingeret obsidione urbem, Possen, Dux praedictus, cum suis Boëmis, quidquid erat ex hac parte fluminis, Atrenopolim (?) quoad usque praedictus amnis influit Danubium (ad Comaromium) nihil reliquerat incombustum." — Svatoplugi alteram saevitiam ita persequitur: A. MCIX. X. Luna Mensis Februarii — Dux Zuatopluc, jam eruti sanato vulnere oculi. continuo iterum coadunato exercitu, tribus diebus ac noctibus continuo festinans, intrat Ungariam, et nemine eorum praesciente, ex improviso applicuit cum exercitu ad urbem Nitram, et irruisset in eam, si non vigiles, qui semper sunt ibi custodientes, clausissent portam. Depopulato igitur et succenso ejus suburbio — villis eorum combustis, omni illa regione devastata, maxima onustati jumentorum et ceterarum rerum copia, hilares ad proprios reversi sunt lares" fol. 2097—8.

§. 41. Immanitas haec justa episcopatum Nitriensem a Moravia separandi et instaurandi Colomanno, regi sapienti, causa fuerat. Cujus restituti indicia villa episcopalis Gant, in dilpomate limitaneo Abbatiae montis Zobor, anno 1111-o edito, jam prodit. In sententia Judiciali Strigoniensis Archiepiscopi, pro episcopatu Zagrabiensi anno 1133-o lata, Nicolaus, Nitriensis Episcopus, qua testis legitur subscriptus. Alter Nitriensium Episcopus censendus est: Saul, inter coaevos anno 1137-o aliam sedem non habens, literarumque Monasterio S. Petri de Chatár datarum testis Anno 1156. Tertius. Joannes in fundationalibus parochiae de Bratka in fidem subscriptus; quartus Thomas A. 1165. donationalibus Monaste-

rii S. Margarethae de Meszes concessis inter episcopos memoratus; Magister capellae regiae perperam habetur: is enim fuit Sudas nomine, etc. V. in Codice Diplomatico.

§. 42. Haec mihi videtur Episcopatus Nitriensis alterum restaurati origo genuina, diplomatibus, ac rebus facti, subnixa, ipsique genio Colomanni regis, qui in dotandis ecclesiis parcus fuerat admodum, consentanea; hinc etiam facile limites complexi Dioeceseos, ac quod episcopus Nitriensis ad Augustae usque M. Theresiae tempora, per A. Dioecesim Strigoniensem transire debuerit dioecesim suam canonice visitaturus, tum alia explicantur. Qui certiora nos edocuerit, de rebus patriis optime profecto merebitur.

III.

An Sanctus Rex Ladislaus Varadiensis episcopatus Conditor?

§. 1.

Qui agrum multiplici labore, solerti opera subactum, optimaque semente foecundatum, novis scindere velim sulcis, vanus et inanis non sum. Episcopatus Varadiensis incunabula per Georgium Pray, Stephanum Katona, Danielem Cornides etc. immortale in republica literaria nomen consecutos, illustrata, iisque rationum momentis Protoregi Stephano sunt vindicata, queis Antonius Gánoczy, Varadinensis Canonicus, incassum studuit refragari. Nec subsequis aliud relictum, quam eliquatam ab ipsis veritatem ab erroribus immunem servare, dubium, si quod obortum est, dispungere, ac dispendium irrogatum fide integra sarcire.

Scripta ad praesentem quaestionem pertinentia:

Ge. Pray Dissertatio Historico — Critica de S. Ladislao Hungariae rege. 1774. in 4.

Diatribe in Dissertationem Historico-criticam de S. Ladislao ab Antonio Ganoczi conscriptam. 1774. in 4-o.

Specimen Hierarchiae Hungaricae Partes II. A. 1776 in 4.

Epistola Exegetica in dispunctionem Antonii Ganoczy. An. 1784. in 8.

Katona St. Historia Critica Ducum Hungariae. A. 1778. in 8.
Historia Critica Regum Hungariae Stirpis Arpadianae Tom. I. et II. 1779. 8.
Epistola Exegetica in dispunctionem A. Ganoczy secunda 1784. in 8.
Cornides D. Dissert. Epistola Exegetica in dispunctionem A. Ganoczy tertia 1784. in 8.
Kereszturi J. A. Compendiaria descriptio fundationis ac vicissitudinum Episcopatus ac Capituli M. Varadiensis. 1806. in 8.
Ganoczy A. Dissertatio de S. Ladislao fundatore Episcopatus Varadiensis. A. 1775. 4.
Episcopi Varadienses. Partes II. A. 1776. in 4.
Dispunctio Diatribes ab Pray in diss. de S. Ladislao editae. A. 1781—3. in 4.

§. 2. Vir clarissimus Josephus Podhrászky, complurium elucubrationum doctarum auctor, mihi e praedilectis, Amicus quoque, vitâ Sancti Regis Ladislai erudita commentatione illustrata, in Ganoczianam concessit sententiam, ortumque Cathedralis Ecclesiae Varadinensis Proto-Regi abjudicare, ac S. Ladislao vindicare, satagebat iteratis partim Praecursoris sui partim novis etiam suggestis argumentis; ac quaestionem summa, qua licuit, contentione obtritam resumendi necessitatem mihi imposuit. Quo in examine ea utar moderatione, quam lex justi ac decori exigunt. Modeste lapsus benigne sublevandus, non censoria virga, quae favoris aut gloriae aucupandae gratia fallentibus debetur, feriendus.

Podhrászky Josephus:
Eredeti két magyar Krónika. 1833. 8.
Magistri Simonis de Keza de originibus et gestis Hungarorum editio tertia. A. 1833. 8.
Buda és Pesth Sz. K. városoknak volt régi állapottyokról. A. 1833. 8.

Pázmány Péter, Esztergomi Érsek' élete. A. 1836. 4.
Sz. László Királynak viselt dolgainak Historiája. 1836. 8.
Complura praeterea produxit in opere periodico: Tudományos Gyűjtemény; mihi multa suppeditavit et suppeditat Diplomata.

§. 3. Quamobrem rationes, quae pro S. Stephano episcopatus Varadiensis Auctore faciunt, explicabo praeprimis; tum eas, quae pro S. Ladislao pugnare videntur, recensebo; ne Prayi, Katonai, etc. hac de re meritorum, laudi detrahere videar, ipsorummet verba, quantum fieri potest, in memoriam revocabo: nova denique Clmi Podhrászkii argumenta sum in arenam producturus. Libratis denique partium ambarum momentis; sententiam dicendam aequo Lectorum judicio relinquam.

I. Rationes, quae pro S. Rege Stephano, Episcopatus Varadiensis fundatore faciunt.

§. 4. Primus praecipuusque Cathedralis Ecclesiae Varadini per Proto-regem Stephanum fundatae testis est Historicorum nostratium vetustissimus, Hartvicus, ejusdem Biographus, a Cl. viro Podhrászkio editus: „Posthaec, inquit is, provincias in decem partitus episcopatus Strigoniensem Ecclesiam Metropolin, et magistram, per consensum et subscriptionem Romanae sedis Apostolici, ceterarum Ecclesiarum fieri constituit“ p. 56—57. Tum: „Stephanus Astricum Praesulem — ad limina sanctorum Apostolorum misit postulatum, ut successor sancti Petri Principis Apostolorum, — Strigoniensem Ecclesiam in Metropolin, suae sub-

scriptionis auctoritate constitueret, et reliquos episcopatus sua benedictione sanciret" l. c. p. 57. Ex quibus sic argumentantur Prayus et Katona: „Si S. Rex provincias in decem partitus est episcopatus, metropoli Strigoniensi, quam ab episcopatibus distinguit, instituta; oportet episcopatus ab ipso fundatos esse decem praeter Strigoniensem Metropolitanam; hi deni episcopatus sunt: quatuor ultra Danubium: Strigoniensis, Jaurinensis, Veszprimensis, ac Quinqueecclesiensis; totidem intra Danubium et Tibiscum: Bacsiensis, Coloczensis, Vaciensis et Agriensis; duo ultra Tibiscum; Varadiensis ac Csanadiensis; et unus in Transilvania conditus. Si Varadinensem e serie hac eximas, magis adhuc si et Vaciensem, octo solum erunt episcopatus aut novem a S. Rege conditi, cum una Metropolitana Strigoniensi. Ut sua proin Historico auctoritas, fidesque constet, Varadinensis ac Vaciensis S. Stephano sunt itidem tribuendi." Cf. Katona Hist. Critica Ducum p. 744. Epistolae p. 5—25. Pray. In vita S. Stephani p. 20. Epistolae p. 102.

§. 5. Testis episcopatuum decem, praeter Metropolim Strigoniensem, a Proto-rege fundatorum, alter est S. Gerardi Biographus, Hartvico coaevus; ita enim illum, quum hunc episcopatui Moriseno, seu Chanadiensi, quem circa vitae finem condidit, praeficeret, loquentem exhibet (cap. XI. edit. Wion). „Voluntatis quidem meae fuit: duodecim episcopatus, quos in regno meo facere decreveram, episcopis implere; sed retardatus fui aliorum voluntate; quorum; ut vere arbitror, Satanas cooperator fuit. Nunc ergo — tibi episcopatum tradimus, existimantes, te perdita posse assumere."

Ipsa haec loquendi forma non obscure indicat, condito Moriseno Episcopatu, unicum defuisse, ut numerus duodenarius compleretur. Atqui, nisi Varadiensem et Vaciensem episcopatus S. Stephano auctori tribuamus, nec decem cum Strigoniensi ab illo conditos efficies.“ Cf. Pray Epist. p. 102. et Hierarchiae part. II. p. 288.

§. 6. Alterum episcopatus a Proto-rege Varadini fundati argumentum Chronicon Thuroczii suggerit: memorat quippe (Chron. P. II. cap. 49). Ladislaum in eo praelio, quod sub Salomone rege cum Chunis commissum erat, A. 1070. re fortiter patrata, vidisse ab hostium aliquo puellam rapi, quam, cum filiam Episcopi Varadiensis putavit, raptorem consecutus, hunc equo dejectum occidit, puellamque in libertatem asseruit; sed illa filia non fuit Varadiensis Episcopi.“ Hinc suapte consequitur: si tempore Salamonis regis jam erat Episcopus Varadiensis, necesse est, ut episcopatus etiam fuerit Varadinensis: proinde, cum Ladislaus longe post Salamonem regnum capessiverit, non fuisse Episcopatum Varadiensem ab eodem, sed a Sancto Rege Stephano conditum. Praesertim cum idem Thuroczius de dissidiis inter Salamonem, ac Geysam Ladislaumque Duces, agens semel iterumque Varadiensis Episcopi meminerit: „Misit etiam, inquit, Dux (Geysa) ad regem Salamonem, Episcopum Varadinensem“, et mox: „Quo audito Rex, remisit Vatham et Episcopum Varadinensem.“ Chronici P. II. c. 52. Cum ab omni vel specie veri-similitudinis abhorreat, ut in tot locis, eadem de re diversis adjunctis vestita, semper erraverit chronicon; oportet Episcopatum Varadien-

sem aetate jam Salamonis extitisse. Si vero jam hoc tempore extitit, non a S. Ladislao, sed a Proto-Rege conditus sit, est necesse. Cf. Pray epist. p. 105—6. Katona Hist. Criticae reg. tom. II. p. 112.

§. 7. Id exigebat Status etiam regni Hungariae: Pro eo, quo S. Stephanus in propagandam religionem Christianam ducebatur studio, non recte facturus fuisset, si tam amplo spatio terrarum, ex quibus Varadiensis coaluit episcopatus, per Bihariensem, Békésiensem, Krassnensem, Solnokien-Zarandinensem, potiorem Kolosiensis, quin et Ugocsensem, Comitatus diffusus, pastorem animarum non praestituisset; idque eo magis, quo minor Episcoporum numerus e controvertentis sententia fuerat constitutus. Necesse enim fuisset, omnem eum terrarum tractum, qui secundum montes Carpaticos infra Moraviam, Poloniam ac Galliciam usque Transilvaniam exporrigitur in superioribus partibus, quive duas ferme Hungariae quartas occupat, solum ad Archiepiscopi Strigoniensis, et Antistitis Agriensis jurisdictionem pertinuisse; an suaderi, si incredibilem S. Stephani suos ad christianam fidem traducendi conatum spectes, hoc verisimiliter poterit?

§. 8. Si episcopatus Varadiensis a Proto-Rege fundatus non est, e vicinis serius a S. Ladislao conflatus sit, oportet. Ast non ex Dioecesi Transilvana, quae per omnem Principatum diffusa alioquin est; non ex Chanadiensi, quae post Ladislaum iisdem limitibus, quibus sub Stephano circumscribebatur, perstitit (Cf. Hierar. P. II. p. 188.); restant itaque Agriensis et Strigoniensis; ast, prae-

terquam quod nullum hujus secretionis seu in Scriptoribus, seu Regum literis exstet indicium, redibit difficultas: binas ferme regni partes Strigoniensi et Agriensi Dioecesibus admensas fuisse; quod sane nemo, quin Sancto regi salutis suorum flagrantissimo, injuriam faciat, sibi persuaserit. Cf. Pray epist. p. 103. 104.

§. 9. Fuit haec regum etiam Hungariae in condendis Episcopatibus prudens oeconomia; ut ii conversione nonnisi suorum, aut nova provinciae accessione oblata constituantur: „Cum is Dei Servus (Stephanus) Princeps christianissimus, aliquando communiter cum omnibus, aliquando singillatim cum uno quoque eorum (subditorum) colloquium habens, in tantum divinis conspectibus probabilem se reddidit, ut omnes militiae suae comites ad veri Dei culturam converteret, quos vero alienae viae sectatores reperit, minis terroribusque subjugavit; — Posthaec provincias in decem partibus est episcopatus." Hartwic l. c. p. 56. Provinciae etiam Morisenae, postquam Achtumi, graecum ritum sectantis, dominio eripuerat, suum constituerat Episcopum." l. c. §. 5. Sanctus quoque Ladislaus Rex „divina inspirante gratia, — Zagrabiensem constituit episcopatum; videlicet, ut quos error idololaltriae a Dei cultura extraneos fecerat, episcopalis cura ad viam veritatis reduceret. Ad instruendam ergo hujus plebis ignorantiam eidem Ecclesiae Pastorem delegit." V. Cod. Dipl. tom. II. ad an. 1133. Atqui causa et occasio haec tam religionis implantandae, quam provinciae accessio nova, S. Ladislao defuerant; venationis otio deberi Episcopatus Varadiensis ortum, nemo sanus concesserit (V. chron. P. II. cap. 59.).

Fundatio proin ejusdem S. regi Stephano jure attributur.

II. Rationes, quae pro S. Ladislao Varadinensis Episcopatus fundatore pugnare videntur.

§. 10. Duorum episcopatuum, a S. Ladislao conditorum, quorum unus Varadinensis est, vita hujus, codice Corsendonkano edita, mentionem facit: „Duos quoque, inquit, Episcopatus ordinavit, et regia largitate locupletavit." Quinam vero ii, compilator Pelbarti in haec verba declarat: „Beatus Ladislaus monasteria episcopalia duo construxit, scilicet: Varadinense et Albense, quae regia largitate dotavit" ait Gánoczy Dissert. de S. Ladislao p. 15. 16. — Sed id, respondet Prayus, minime congruit cum Hartvici testimonio, qui totam provinciam, quo nomine Hungariam, ut ea Stephano parebat, sine dubio intelligit, in decem episcopatus, quorum metropolis Ecclesia Strigoniensis, a Divo Stephano distributam perhibet; id quod synodus quoque sub Colomanno rege anno MCXI. Strigonii celebrata, confirmat his verbis: „Hucusque capitula de synodalibus decretis Laurentii Archiepiscopi Strigoniensis Metropolitani, et decem sufraganeorum suorum:" — Car. Péterfi conc. Hung. Part. I. p. 55. 62. Adstipulantur Breviariorum seculi XIII. et XV-i lectiones secundi nocturni, in quibus diserte decem suffraganei A. Episcopo Strigoniensi olim subjecti leguntur. Quae probabiliter conficiunt, Ladislaum, etsi ceteroqui in Ecclesiam Dei optime animatus esset, nequaquam duos condidisse Episcopatus. Ad rem hanc declarandam ne-

cesse est, ut Episcopatus Hungariae, qui hodie obtinent, in censum vocemus; sunt autem sequentes: Strigoniensis, Jaurinensis, Vaciensis, Veszprimiensis, Agriensis, Quinqueecclesiensis, Varadiensis, Bachiensis, Colocensis, Chanadiensis, Albensis, Zagrabiensis, Nitriensis, Bosnensis et Sirmiensis: nam ceteros, qui in Dalmatia et Croatia erant, nihil opus hic referre: Habemus igitur Episcopatus numero prorsus decem et quinque: tribuamus singulos suis auctorihus: Zagrahiensem ab Divo Ladislao fundatum esse, nullum dubium est. — Bosnensis et Syrmiensis, nunc in Diakóvarensem uniti, ad aetatem Belae IV-ti spectant. Nitriensis sub Colomano circa annum 1099-um praepositura Major, Praeposituræ Posoniensi similis, adhuc fuit: ut Lex XXII. decreti 1-i anno MCIII. conditi, docet. Bachiensis autem serius cum Colocensi in Archiepiscopatum conflatus est. Quibus declaratis numerus omnino decem episcopatuum, praeter Strigoniensem Metropolitam, quod Hartvicus, et vetusta Breviaria affirmant, a S. Rege Stephano fundatorum prodit. Ast si Varadiensem episcopatum demas, incompletus est." Dissert. Hist. Critica de S. Ladislao p. 51 — 3.

2) Respondit Katona: RR. Gánóczius illud o r d i n a v i t, pro fundavit accipit, adeoque per duos episcopatus Zagrabiensem et Varadiensem intelligit; sed certum non est, Codicem Corsendonkanum illud o r d i n a v i t, pro fundavit accepisse; quum Silvester II-us PP. ut Hartvicus perhibet (edit Pray p. 131.) ecclesias Dei simul cum populis suis vice sua S. Stephano o r d i n a n d a s reliquit; num Ecclesias cum populis f u n d a n d a s reliquit? Exhibeat vetustum aliquem Scriptorem,

qui vocem ordinavit pro fundavit, acceperit. Evolvat du Cangium, consulat Carpentarium; consulat quemvis alium, qui voces mediae latinitatis collegerit; an ullus hoc sensu ordinavit ecclesias exposuit? — Etiam si amplius aliquid sub duobus ordinatis episcopatibus, quam de ceteris ecclesiis ac monasteriis regalibus, sive iis, jam a S. Stephano prius erectis, Ladislaum, episcopale monasterium, sive cathedralem ecclesiam, ac aedem episcopalem, sive collegium canonicorum adjecisse, intellexerit; sed certum non est, illud ordinavit pro fundavit eum accepisse" epist. p. 38. 39. Hist. Crit. tom. II. p. 116 — 117.

3) Respondet itidem Katona: „Pelbarti compilator in haec verba, scripsit: B. Ladislaus monasteria episcopalia duo construxit: scilicet Varadinense, et Albense, quae regia largitate dotavit." Sicut ergo Albense monasterium episcopale non ita S. Ladislaus construxit, quasi dioecesim Transilvaniensem ipse primus erexisset; sed quod episcopatum, illic a S. Stephano conditum, ornaverit, vel aedem episcopalem, aut cathedralem ecclesiam splendidius educendo, vel collegium Canonicorum, quae prius defuerint, instituendo; ita de Varadiensi quoque sentiendum esse, par utriusque descripti ratio postulat." Hist. Crit. l. c. p. 32.

§. 11. „Posthaec (videlicet post coronationem S. Ladislai, post victum, captum et dimissum Salomonem, post debellatos Chunos et Ruthenos) in parochia castri Bihor, inter flumen Kewres, in venatione sua invenit (Ladislaus) locum, ubi an-

gelico admonitu, proposuit construere monasterium in honorem Virginis Mariae, quem locum Warad nominavit." Haec Turoczii verba perspicue indicant, civitatem Varadiensem a S. Rege Ladislao, post obitum Geysae fratris, a fundamento conditum esse, inque ea monasterium seu episcopatum et capitulum fundatum." Diss. de S. Ladisl. p. 17. „Ne autem quispiam temere opinetur, sententiam Thurocii esse de monasterio, prout id religiosorum virorum domicilium significat; Antonius Bonfinius, praeviden s nostrae aetatis Scriptorum ad cudenda nova immodicum pruritum, sensum Thuroczii luculentis verbis explicat (Dec. II. lib. IV. p. m. 259.). „Divina statim mandata praestitit; magnificentissimam aedem erexit; eique pontificem praefixit; oppidum fundavit; Varadinumque jussit appellari, pontificiam aedem amplissima donatione exornavit." Gánoczi Diss. de S. Ladisl. p. 17.

1) Respondet Katona: „Atqui Thuroczius, antequam Geysa, S. Ladislai frater, obiisset, immo priusquam is vel regnare coepisset, Varadiensis Episcopi semel, iterum ac tertio disserte meminit; hic vero nullius episcopatus, sed tantum monasterii disserte meminit. Si quis igitur, posito partium studio, haec loca contenderit; Thuroczium a nobis potius stare, quam ab adversario fateri debebit. — Facile hic largior, Thuroczium hoc loco per monasterium non intelligere domicilium religiosorum, sed praepositurralem ecclesiam, quam hodie ecclesiam collegiatam vocamus. Quo sensu Pelbarti quoque compilator in haec verba scripsit (De S. Ladislao Serm. I. al. XLVIII-o.) „Beatus Ladislaus monasteria epi-

scopalia duo construxit, scilicet Varadiense et Albense, quae regia largitate dotavit.“ Sicut Albense monasterium non ita S. Ladislaus construxit, quasi Dioecesim Transilvaniensem ipse primus erexisset; ita de Varadiensi quoque sentiendum est.“ „Scio hoc nomen: monasterium, pro capitulo, seu collegio canonicorum interdum accipi; ut lex Synodi apud Kerchelich H. E. Z. p. 7. docet: „Episcopi, qui obierunt jam, neque ecclesiae suae providerunt, sed tantum filios suos ditaverunt; placuit medietatem auferre, et ecclesiae reddere; monasteria vero talium in potestatem succedentis episcopi transeant.“ Scio, hoc nomen etiam pro capitulo, seu collegio Canonicorum interdum accipi, ut quum Andreas II. ita loquitur (l. c.) „Quum venissemus ad Zagrabiensem episcopatum et monasterium Zagrabiense.“ etc. Quia ergo hic Thurocius monasterium, non episcopatum, a Divo Ladislao fundatum, asserit: docendum Ganoczio fuisset, etiam episcopatum monasterii nomine sumi posse. Hoc non praestito, nihil praestitit; nimisque praecocem e partibus non probatis, hanc fecit consecutionem: in civitate Varadiensi monasterium, seu episcopatum et capitulum fundatum.“ Epist. p. 33. 34.

2) Respondet idem Katona: „Quum hoc loco Thuroczius ait: quem locum Várad nominavit, tam parum sibi constat, quam alias Vaciam a Geysa conditam, ac ex eremitae Vácz nomine dictam, asseruit, quam tamen urbem eodem ante nomine saepius appellavit. Nisi dicamus prolepsi quadam usum eum fuisse, quum seu Vaciam, seu Varadinensem episcopatum nominavit. Si tamen vel ita Thuroczium secum conciliare velimus,

fateri cogimur episcopatum, qui postea Varadinensis appellatus fuerit, prius extitisse, quam S. Ladislaus rex monasterium in Varad excitasset. Parum enim moror, sive Bihariensis, sive quocunque nomine, hic episcopatus antea, quam Varadinum S. Ladislaus excitasset, eoque sedem episcopi transtulisset, appellatus fuerit. Certe, qui Morissenus, vel Morissanus episcopatus aetate S. Stephani dictus est, postea Csanadiensis appellari coepit, quin alium propterea hujus, vel illius nominis episcopatus conditorem, praeter S. Stephanum, agnoscere debeamus.“ Hist. Crit. tom. II. p. 612—13.

3) Itidem Katona: „Nihil Bonfinium, etiamsi propheticum illi spiritum, quo futura providerit, hic tribuat Ganoczius, moror: miror potius ab erudito viro hunc interpretem Thuroczianorum annalium adhiberi, quos ab eo plurimis commentis fuisse corruptos, eruditi dudum agnoverunt. Hoc loco certe corrupit Thuroczium: Pontificis enim Bonfinius, non item Thuroczius meminit. Hanc igitur vocem ex suo Bonfinius assuit, cujus in Thuroczio nec vola nec vestigium occurrit: Contende verba Bonfinii cum excitatis supra Thuroczianis.“ Hist. Crit. tom. II. p. 614. epist. p. 28.

§. 12. Ganoczius diploma Mathiae I. Regis addit, quod ita recitat (Diss. de S. Ladis. p. 18.) „Mathias, Dei gratia, ——— ideo nolentes Ecclesiam Varadinensem ob honorem et reverentiam sanctissimi regis Ladislai, specialis hujus regni nostri Patroni, qui ejus ecclesiae fundator et certissimus apud Deum pro nobis intercessor

est, suis justis juribus destitui, supplicationibus fidelis nostri. — — Datum Posonii feria III. post Dominicam reminiscere (II. Quadrag.), anno Domini MCCCCLXXVIII. Regnorum nostrorum Hungariae XX. Bohemiae vero IX-o."

Respondet Katona: „Clarum est, hoc diplomate S. Ladislaum ecclesiae Varadinensis fundatorem dici; sed tam parum hinc sequitur, eum etiam episcopatus Varadiensis fundatorem esse, quam parum Petrus rex propterea Quinqueecclesiensis episcopatus fundator dici potest, quod Thuroczius affirmet (Chron. P. II. C. XLI.) eum Ecclesiam Quinqueecclesiensem fundasse. Non enim ecclesiae nomine semper episcopatum intelligi, saepius jam ostendimus. Nec ipse RR. auctor negat (Diss. de S. Lad. p. 118) in epitaphio Makranzensi Giselam templi Veszprimiensis conditricem dici; — neque tamen vel RR. adversarius, vel ullus alius hactenus ostendit aut credidit, Giselam episcopatus quoque Veszprimiensis fundatricem fuisse. — Sicut igitur S. Stephanum et Veszpremiensis et Quinqueecclesiensis episcopatus conditorem agnoscimus, licet alii cathedrales ecclesias iis in locis erexerint; ita, licet S. Ladislaus ecclesiam condiderit Varadini, vel fortassis ipsum episcopatum ex Bihar illuc transtulerit, illumque collegio canonicorum auxerit; episcopatus tamen erecti gloria propterea S. Stephano negari non poterit." Hist. Crit. t. II. p. 618.

§. 13. Adducit praeterea RR. adversarius auctoritatem Verböczii, qui Colomanum primum episcopum Varadiensem fuisse, perhibet (Part. II. tit. VI.) Unde sic infert

ss. de S. Ladis. p. 18.). „Quod si igitur Colonnus primus Varadinensis episcopus erat; proto sua initia episcopatus Varadinensis ad S. Lalaum referat, oportet. Alias dicere debebimus, Stephanum regem a fundo erexisse quidem subtum M. episcopatum Varadiensem, sed erecto i dedisse episcopum. — Tanquam rem exploissimam, tenendam proin, infert, S. Ladism episcopatus Varadinensis conditorem esse; to magis, quod, quemadmodum nullum veturem Scriptorem, ita neque ullum episcopum, ante aetatem S. Ladislai regis Varadinensem lesiam rexisset, nominare queant. — „Quis itae imbellis adeo erit, ut credat, ab anno M. ɔ episcopatus, ab S. Stephano erectos, Silvet II. P. P. confirmavit, usque ad obitum S. lislai, id est, unius fere seculi intervallo, ita ercidisse nomina episcoporum Varadinensium, omnino nullus in medium statui, aut e pera undi possit." l. c. p. 19.

Respondet demuo idem Katona:

Licet magna sit Verböczii in rebus juridiauctoritas: in historicis tamen eum saepius abasse, certum eruditis est. Colomannum saneiscopum nunquam fuisse, ne dum Varadinenn primum, ex ipso Thuroczio affatim constat, i jam tunc episcopus ille Varadiensis fuerit, um Ladislaus filiam, captam a Cumano, virgin episcopi fuisse putavit; aut quem Geysa adc Dux legatum ad Salamonem miserat. Sic enim illa captiva Colomanni filia, et hic legatus ysae Ducis filius fuisset. Quod neque sibi, nee ceteris unquam Ganoczius persuaserit.

2) Quos adhuc scriptores vetustos pro se Ganoczius laudavit, eos nostram sententiam partim confirmare, partim non infirmare, docuimus. Quod vero nullum episcopum, qui Varadinensem ecclesiam ante S. Ladislai regis aetatem rexerit, nominare possimus; id si probat, S. Ladislaum episcopatus Varadiensis conditorem non esse, pari jure probabit, eundem plurium episcopatuum, ac imprimis Albensis in Transilvania, conditorem esse. De hoc sane consimilem, ac de Varadinensi conclusionem formare, ac quaestionem adversarius ponere potest: „Dicere debebimus, S. Stephanum regem a fundo erexisse quidem sub annum MIIII. episcopatum Albensem; sed erecto non dedisse episcopum. — Tanquam rem exploratissimam ergo tenere debemus, S. Ladislaum episcopatus Albensis conditorem esse, tanto magis cum q u o d quemadmodum nullum vetustiorem scriptorem, ita neque ullum episcopum, qui ante Ladislaum Albensem rexisset ecclesiam, nominare queat. „Quis adeo imbellis erit ut credat, ab anno MIII. — usque obitum S. Ladislai, id est, unius fere seculi intervallo, ita intercidisse nomina Episcoporum Albensium, ut omnino nullus in medium statui, aut „e pera extundi possit? ubi ergo perierunt unius seculi Antistites Albenses ?? !!!

§. 14. Oportet nos exceptiones etiam Ganoczii contra vim argumentorum audire, et librare: 1) Hartvici verbis confici neutiquam posse, numerum episcopatuum a S. rege Stephano fundatorum denarium, praeter Metropolim Strigoniensem, fuisse: quum ita dicimus: Christum Dominum duodecim elegisse Apostolos, quorum principem

esse voluit Petrum; usque nemo hinc eliciet, Christum tredecim elegisse Apostolos.“ Diss. p. 24.

Haec tamen similitudo non videtur mihi evertere decem episcopatus, praeter Metropolim Strigoniensem, a S. rege fundatos; respondet Katona (Hist. Duc. p. 736.): quia Metropolis proprie non venit inter episcopatus: certe si dicerem Augustam Theresiam, scientiarum matrem toto orde celeberrimam, in Hungaria quatuor constituisse Academias, quarum velut matrem et principem esse voluit Universitatem Budensem; nemo quatuor Academiarum numero Budensem universitatem includet:. quia scilicet altioris ordinis est Universitas, quam Academia, licet communia pleraque habeat. Atqui metropolis etiam, licet multa cum episcopatibus communia habeat, auctoritate tamen et potestate praestat; non igitur censendus, Hartvicus, Metropolim cum episcopatibus confudisse, numeroque decem episcopatuum inclusisse.“

2) Quaerit: Cujusnam dioecesis tractus ille, e quo episcopatus Chanadiensis coaluit, 30. annorum serie portio fuerit? Etiam si ergo non constet, quanam 'e dioecesi sit Varadinensis episcopatus excisus, erigi novus ideo potuit. Diss. p. 556.

Respondet Pray: Te docebo et quidem tuismet verbis, quae quondam scripseras (diss. de Lad. p. 71.) „jam autem manifestum est et illud, quod toti illi tractui, quem S. Stephanus Episcopo Chanadiensi subjectum esse voluit, quidam nomine Achtum dominatus fuerit, et quia is graecum ritum sectabatur, Stephani imperium detrectans, privato jure usurpabat.“ Terrae vero hujus (epi-

scopatus Varadiensis) habitatores usque aetatem S. Ladislai, superstitiones ethnicas sectatos, quibus peculiarem praefici episcopum, opus haud fuerit, quod dixisti (Diss. de S. Ladislao p. 39.) haud obtendes" Epist. p. 104.

Proto-regem Stephanum in Promontorio Varadinensi Ecclesiam S. Stephano Protomartyri dicatam, quam serius Stephanus II. Rex circa annum 1130. Praemonstratensibus canonicis contulerat, fundasse, probatur tum e Pelbarto de Temesvár Sermone I. de Laud. S. Stephani regis; cum e diplomate Uladislai regis anno 1494. emanato. Si locus in regione Varadinensi Praepositurae jam sub Proto-rege fuerat, illius incolae sacra christiana coluerint est necesse. Geysa vero I. regnante Abbatia monialium in confinio Bihar civitatis, de Tormova, floruit.

3) Vel librariorum vel typothetarum oscitantia palpabilis ille error enatus fuit, qui alterius alicujus episcopi loco, Varadiensem in chronico Thuroczii substituerit." Diss. de S. Ladisl. p. 70. 71.

Respondet Pray: Cum omnes editiones Chronici Thurocziani, quin et vetustissimus Codex Bibliotecae Palatinae Vindobonensis, ex quo Thuroczius, teste Lambecio (Diar. s. itineris cell. p. 62. edit Vienn. a. 1666) omnia, quae duabus illis partibus (chronici Thurocziani) continentur, mutuatus est, tum alter quoque Codex MS. vetustate non multo inferior, quo Joannes Lucius utebatur (in append. operis Memorie Istoriche di Tragurio) Varadinensem episcopum memorent; non potuit hic locus seu librariorum incuria, seu typothetarum oscitantia corruptus fuisse, praesertim, quod idem Thuroczius isthic, ubi de dissidiis inter regem Salamonem, Geysam et Ladislaum

Duces agit, semel iterumque Varadinensis episcopi meminerit“ Epist. p. 107.

4) „Quid si ea aetate in provinciae Biharensis —— parte graeci ritus homines habitabant, quorum episcopi quomodocunque demum susceptam filiam de potestate raptoris Chuni liberavit S. Ladislaus? (Diss. de S. Ladisl. p. 71).

Respondet idem Pray: Quam ridicule hic te dederis, viden: apertum enim est, quod Graecis non minus, quam Latinis Episcopis vetitum fuerit, uxorem habere; et Latini ritus Episcopis in Hungaria, ante susceptam dignitatem, uxores fuisse, domestica documenta, omni fide digna, testantur. Excerpo ea, quae edideram in appendice ad Diatribam, et huc in primis faciunt: Ut hi, qui ad episcopatum promovendi sunt, si matrimonio legitmo juncti sunt, nisi ex consensu uxorum, non assumantur; si vero ex consensu uxorum assumti forent, ut uxores episcoporum episcopalia praedia non inhabitent“ p. 213. Nihil, ut reor, clarius esse potest. Quare puella, quam Ladislaus Chuno eripuit, non Graeci, sed Latini et quidem, ut Thuroczius scripsit, Varadinensis Episcopi, filia fuerat. Epist. p. 107—8.

5) Antilogia foret, quod Thuroczius memoret Ladislaum, quum in venatione fuisset, in parochia castri Bihar monasterium exstruxisse, si prius de episcopo Varadinensi, cujus filiam S. Ladislaus liberavit, sermonem fecisset.“ l. c.

Reponit porro Pray: „Nulla in eo cubat antilogia: si phrasis Thurocziana rite sumatur; illi

monasterium et episcopatus idem non sunt, compluribus ejusdem exemplis constat: quum narrat: Abam regem sepultum esse in proprio monasterio in Saar. Andream I. esse conditum in Monasterio S. Adriani (Aniani) Confessoris, quod idem rex construxit. Belam I. fuisse humatum in monasterio S. Salvatoris, quod ipse construxerat. Rursus de Almo: Dux autem construxit monasterium in Demes; et de Atha Palatino: rogavit regem et Ducem, ut in constructione monasterii sui, quod in honorem S. Jacobi aedificaverat in Zelys, interessent" (Chron. P. II. cap. 37. 44. 46. 61. 47.). Libuit mihi repetere: ut quisque intelligat, quam violente Thuroczii monasterium torqueas" Epist. p. 106. 107.

6) Neque illud moveat dubium, quod Pelbartus Albense nominet; manifestum enim est, Albensem episcopatum in Transilvania a Stephano erectum esse. Proinde dicere volebat Varadinensem et Zagrabiensem." Diss. de S. Ladisl. p. 16.

Refellit Katona: „Quid Pelbartus dicere voluerit, a nemine scitur; quid dicere debuerit, quaeritur; quid dixerit, hoc certe unum novimus, et inde rationem a pari ducimus. — Non est ex Critices norma, vocem voci substituere, quod est testimonium auctoris corrumpere, sensumque, quem non is voluit, sed quem tu velis, effingere. Sic ego sane nullum non auctorem meae sententiae testem habebo: nam, si mihi non faveat, aliam illi vocem, mihi faventem surrogabo, sensumque, quem velim, efformabo. Hanc tu novae critices legem statuis, quum Albensi Zagrabiense monasterium ad tuum arbitrium substituis." Epist. 33—34.

7) „Nemo sanus dubitat, a S. Ladislao episcopatum Zagrabiensem a fundo erectum esse. Quis vero tam excors erit, ut sibi persuadeat, Corsendoncanum biographum S. Ladislai memoriale istud ejus factum aut ignorasse, aut dedita opera commemorare neglexisse? — Id certe ignorare non potuit, quod lippo et tonsori notum est: neque qui vitam S. regis scribendam sibi sumsit, censeri potest debita opera id commemorare neglexisse, utpote qui minutiores etiam S. Ladislai res gestas, adeurate et fideliter recensuit. Illud o r d i n a v i t Corsendoncanus biographus pro f u n d a v i t accipit. Proinde isthac sententia: duos episcopatus o r d i n a v i t, et regia largitate locupletavit," testatur, a S. Ladislao fundatum esse Zagrabiensem Episcopen, et quod hinc consit, Varadinensem; de utroque enim eodem prorsus modo loquitur: Adeoque, si unum condidit, ex ejus fide et alterum; quis ille alter est? Extundat per me licet, A. R. Katona e pera alterum praeter Varadiensem. Sed sciat, viris vel mediocriter doctis despicatui se futurum." Diss. p. 527.

Reponit Katona: Ego tamen i n s a n o s non ausim eos dicere, qui de hoc (Zagrabiensi Episcopatu a S. Ladislao fundato) apud Kerchelichium dubitant (Hist. Eccl. Zagrab. p. 5—6). Gravioribus illi nituntur argumentis ad id negandum, quam Gánoczius ad Episcopatum Varadiensem S. Ladislao vindicandum. — Ego excors sententiâ ipsius, licet, sim, facile mihi persvadeo, Codicem Corsendoncanum factum memoriale conditi per Ladislaum episcopatus Zagrabien. seu ignorantia seu incuria praeterire potuisse: postquam certus sum, res maximi momenti quosdam biographos silentio

pressisse. Lege duos S. Adalberti biographos, qui res minutiores de hoc Sancto referunt: neuter tamen meminit vel ab eo baptisati S. Stephani, vel erecti Brevnoviensis coenobii, cui patrimonium addixerat; Diploma, quod Cl. Dobnerus incidendum aeri curavit, testatur. Viden igitur, argumentum admodum infirmum esse, quod e solo Scriptorum silentio petitur. Viden, quam labili fundamento hoc oraculum totum nitatur. Certe minutiores res dici non possunt abbatiae Simegiensis et Bathensis, a S. Ladislao conditae (V. Hist. Pragm. P. I. p. 464) quarum tamen Biographus ille non meminit. Perperam igitur e partibus non probatis ita concludis: illud ordinavit, tantumdem est ac fundavit; perperam ingeritur episcopatus Zagrabiensis, cujus nec verbo meminit. Neutram episcopen ille nominat, sed Pelbartus. Ideo, si unum episcopatum Albensem non condidit, sed tantum ordinavit, nec Varadinensem condidit, sed solum ordinavit. Quare, quia nec unus nec alter in pera fuit, neuter hinc extundendus est. Epist. p. 40 — 42.

8) „Satis superque — ostendi e breviariis seculi XIII. XIV. XV. XVI. E vetusto Codice Corsendoncano, e Pelbarti compilatore, e Bonfinio, Mathiae Corvini regis Diplomate, Verböczio, quoque, item ac traditione perpetua, ad nos usque perducta — episcopatum Varadiensem sua initia S. Ladislao debere. Contra Adversarius nequidem seculi XVI [illegible] unum gravem pro se testem producere potest." Diss. p. 543.

Reponit vicissim Katona: Nos vero jam ostendimus, tam laudata breviaria, quam Corsendoncanum codicem, Pelbarti compilatorem; Thu-

roczium, Bonfinium a nobis stare; Mathiae Diploma nobis non adversari, Verböczium in juridicis, non item in Historicis rebus, fidem mereri; addimusque, traditionem rudiorum nos non morari, cui si deferamus, etiam Budam ab Attilae fratre conditam et appellatam esse, quod nequidem tu velis, admittimus. Quare hoc ego judicium de his testibus; Ganoczii in Historia Critica (tom. II. p. 620.) promsi et itero: „Quos adhuc Scriptores vetustos pro se R.R. auctor laudavit; eos nostram sententiam partim confirmare, partim non infirmare docuimus, etc. Epist. p. 56.

Notitia monasterii a S. Ladislao rege in Várad fundati.

§. 15. Utar, inquit Prayus (epistolae suae p. 100. et seqq.) solutione decimae Pontificiae, quae Carolo Roberto indulgente domi nostrae annos septem collecta est, quam ne in dubium voces, promam omnia ex apographo, quod cum authographo Tabularii Vaticani collatum suo nomine confirmavit vir praecellentis doctrinae, religionis, et intaminatae fidei E. C. Josephus Garampi, ad aulam Caesaream Vindobonae Nuncius Apostolicus, tum Cardinalis, egoque isthinc in meos usus exscripsi. Fuerant secundum eam primitus Varadini Praepositurae binae, Praepositique duo: unus Ecclesiae Cathedralis, constanter Praepositus Ecclesiae Varadiensis, alter vero Praepositus S. Mariae, nonnunquam addito, minoris, alias juxta Portum dicti. Primus id temporis fuit Stephanus, alter Demetrius. De

hoc solutio primi anni sic habet: item Magister Demetrius Praepositus S. Mariae solvit 88. grossos pro decima primi anni: rursus: item Demetrius, Praepositus S. Mariae minoris prima vice solvit unam marcam. Solutio secundi anni haec: Nota quod Demetrius Praepositus S. Mariae minoris pro se et Capellano ejusdem solvit 88. grossos, pro decimis secundi anni; ac mox: Nota, quod Demetrius Paepositus Ecclesiae Beatae Virginis de magistratu capellarum suarum solvit 20. grossos. Solutio tertii anni: item Demetrius Praepositus solvit 35. grossos pro decimis tertii anni. Solutio quarti anni: Nota, quod Praepositus minoris Ecclesiae beatae Virginis solvit 65. grossos. Ubi velim observes Ecclesiam, cui Demetrius praefuit minorem dici, credo, ut dignitate inferior, a Cathedrali discernatur. Cesso reliquos solutionis annos recensere. Nunc audi eumdem Demetrium praefuisse capitulo: item (sic porro conscriptio decimae habet) Demetrius Praepositus Ecclesiae beatae Virginis Mariae minoris et capitulum ejusdem solverunt 88. grossos pro decimis tertii anni; ac iterum: item Praepositus S. Mariae minoris juxta portum, et capitulum ejusdem solverunt 88. Grossos pro decimis quarti anni; denique: Nota, quod Demetrius Praepositus S. Mariae minoris et Conventus, ejusdem solvit 88. Grossos, et hoc totum, quod supra dictum est, de solutione quarti anni." Ex Canonicis vero hujus capituli unicum in ea descriptione reperio: Michaël Canonicus (ita conscri-

ptio) minoris Ecclesiae pro Magistratu vineae et capellarum solvit 20. grossos." Et ne dubites, hunc ad Demetrii Praepositi Capitulum pertinuisse, sequitur in solutione quarti anni: Michaël canonicus S. Mariae Minoris solvit 28. grossos." Cur plurium Canonicorum non fiat mentio; id reor, in causa fuisse, quod alii beneficium peculiare non possiderent, sed ex communi proventuum massa solutionem decimae praestarent. Habes igitur Praepositum, capitulum, Canonicos et ipsam adeo Ecclesiam B. Mariae Minorem a cathedrali distinctam."

Rarissimum hoc documentum inter Manuscripta Prayana tomis XI. XII. XIII. in archivo universitatis regiae continetur. — Edidit partem illius, Dioecesim Veszprimiensem ac Varadiensem concernentem ipse Prayus in sua Diatribe ac Hierarchiae parte II. Quinqueecclesiensem Kollerus in episcopis Quinqueecclesiensibus Varadinensem ego edidi in Codice; reliquas etiam partes in usum publicum, pro re nata, editurus.

Mihi vero videtur Ecclesia Beatae Mariae minoris dicta; quia haec dicata fuit Nativitati B. V. Mariae, quam Hungari minorem dicunt (Kis Asszony) alteram vero Assumtioni, Hungaris majori (Nagy Asszony napja.).

§. 16. Ecclesia Cathedralis in eadem decimae Pontificiae conscriptione generatim appellatur Ecclesia Varadiensis, quemadmodum Stephanus Praepositus et Canonici, uti Cantor et Lector, Custos cum eodem axiomate Ecclesiae Varadiensis occurrunt, nuspiam vero cum titulo: S. Mariae minoris; qui Demetrius, crebro jam nominatus, praeerat; proinde hic neutiquam fuit Praepositus minor Ecclesiae Cathedralis. Quid, quod Ecclesia Beatae Virginis sita ipso a Cathedrali distincta fuerit? dicitur enim

juxta portum, itaque Chrysio anni adsita fuisse. Ipsa etiam solutio decimae longe diversa, unius enim anni solutio, a Praeposito et Capitulo S. Mariae minoris praestita, non excessit summam LXXXVIII. Grossorum; cum solutio capituli cathedralis major esset: sic enim conscriptio habet: „Nota quod Capitulum Ecclesiae Waradiensis solvit 40. Marcas pro decimis secundi anni.“ Haec quidem ex proventu communi; singillatim vero de Praeposito: item Stephanus Praepositus Ecclesiae Waradiensis pro praepositura sua solvit 4. marcas pro decimis secundi anni. Sequuntur Canonici: „Item Thomas Archidiaconus de Humruk solvit tres fertones, pro Archidiaconatu suo, Petrus Archidiaconus Byhoriensis, solvit unam marcam pro Archidiaconatu suo, Joannes Lector bonae memoriae solvit unam marcam pro Lectoratu suo. Dominus Colomannus Cantor Ecclesiae Waradiensis, solvit 5. fertones pro cantoratu suo. Paulus Archidiaconus de Kaletha solvit unam marcam pro Archidiaconatu suo. Petrus archidiaconus de Kulezer solvit unam marcam pro Archidiaconatu suo.“ — Nolo esse longior. Ex his, credo intelliges, Demetrium Praepositum cum Capitulo, item Ecclesiam illius, titulo, situ et redditibus distingui ab Ecclesia Varadiensi: itaque hanc cathedralem, illam vero collegiatam fuisse, non item communitativam; cum nihil omnino communionis haberet cum cathedrali: non hujus titulum, non situm, nec Praepositum, nec Capitulum, nec Canonicos, nec redditus.“

§. 17. Hanc ipsam S. Mariae minoris Ecclesiam cum Capitulo affirmavi monasterium

illud esse, quod Thuroczius in Parochia castri Bihor in honorem Virginis Mariae ab Ladislao exstructum testatur. Consentit primo Ecclesiae titulus, quo Cathedralis in conscriptione decimae Pontificiae nuspiam notatur; tum loci situs (juxta portum) quam Thuroczius his verbis (Chron. P. II. cap. 59.) post haec — intra flumen Kewres (Chrysium) in venatione, sua invenit locum, ubi angelico monitu proposuit (Ladislaus) construere: designasse videtur. Confer illa juxta portum cum flumine Kewres, et velut digito indicari videbis Ecclesiam S. Mariae minoris, quam a Cathedrali apertissimis indiciis distingui, non solum collectio decimae Pontificiae docet, sed ipsum quoque Sigismundi regis diploma, quod Dispunctionis p. 572 vulgasti, mirifice confirmat. In eo enim praeter Joannem de Pestes Praepositum minoris Ecclesiae beatae Mariae Virginis de castro Varadinensi, etiam Martinus, Antonius, et Petrus, Canonici Ecclesiae Cathedralis Varadiensis, ad regem Posonii morantem, venisse dicuntur. Si Ecclesia minor B. Mariae Virginis de castro Varadiensi, et Praepositus Joannes de Pestes ad hanc, non item ad illam pertinuisset, ludicre Rex Ecclesiam minorem de castro Varadiensi in diplomate ab Ecclesia cathedrali distinxisset; proinde Ecclesia S. Mariae minoris juxta portum eadem omnino est cum minore Ecclesia beatae Mariae Virginis de castro Varadiensi, id quod Thuroczius etiam perspicue innuit, dum monasterio in honorem Virginis Mariae per Ladislaum constructo, subjicit: quem lo-

cum Varad nominavit, quod Latinorum lingua castrum notat, exstatque Praepositi illius Ecclesiae memoria hoc titulo: S. Ladislai de Magno Varadino."

§. 18. Ac hujus quidem Praepositurae a vetustissimis temporibus memoriâ ad nos traducta, nullum mihi dubium relinquit; quin Ladislaus in minore Ecclesia S. Mariae Virginis juxta portum ab obitu fuerit conditus. Facit huc in primis Thuroczius, cujus verba rursum juvat exscribere (l. c. cap. 59.). „Post haec (Ladislaus) in Parochia castri Bihor inter flumen Kewres, in venatione sua, invenit locum, ubi — proposuit construere monasterium in honorem Virginis Mariae," quem locum Warad nominavit;" ac sub finem de eodem: Sanctitate igitur et gratia plenus transiit ad consortia Angelorum — et sepultus est in monasterio suo," nempe, quod in honorem Virginis Mariae proposuit construere;" quo titulo cum Cathedralis Ecclesia nec in conscriptione decimae pontificiae, nec in Ludovici, Sigismundi, nec in Mathiae, regum Hung. diplomatibus exornetur, bene vero illa, quae S. Mariae minoris juxta portum vel de castro Varadiensi dicta fuit, veri est simillimum, hanc Ecclesiam in Thuroczii monasterio latere, et Ladislaum in ea sepultum esse. Scio, quid contra obmoveri possit; nempe Sigismundum in diplomate a me edito (Diss. de S. Ladisl. p. 30.) fateri, se, cum venatui prope Varadinum operam daret, locum illum, qui divi Ladislai, aliorumque Sanctorum reliquiis nobilitatus esset, quemve Basilicam Cathedralem Varadiensem appellat sepultu-

rae suae destinasse; igitur hinc effici, S. Ladislaum in cathedrali, minime autem in Ecclesia S. Mariae minoris juxta portum, aut, ut in Sigismundi Diplomate est, in minori Ecclesia beatae Mariae Virginis de castro Varadinensi, sepulchro illatum esse. Recte id quidem, si Sigismundi, non item, si vetusta tempora in censum veniant, quae Tartarorum in Hungariam irruptionem antecesserant. Nam, cum Rogerio, Varadinensi Canonico, teste: (In miserabili carmine cap. 34. Scrip. rer. Hung. tom. I. p. 313.), barbari sacra loca tam in urbe, quam castro igne ferroque corrupissent, violassent Sanctorum sepulchra, omniaque evertissent, caesis magnam partem, et in captivitatem abductis incolis adeo vasta et inanis reddita est Hungaria, ut toto poene seculo XIII. vix e ruinis emergeret, eamque novis coloniis aliunde deductis reparari necesse esset. Itaque, ut res civiles, ita sacrae etiam, non nisi sensim in pristinum statum reponi potuere. Qua occasione factum existimo, ut Varadinenses, post habitis ceteris, curam in instauranda cathedrali Ecclesia locarent, et S. Ladislai lypsana, quae feritas barbarorum adhuc reliqua fecerat, in illam transferrent. Cur ita existimem, haec mihi ratio est; quod abhinc Ecclesia Hungarica in loco festae diei Elevationis Ladislai, quam hactenus ad V. Calendas Julias celebraverat, memoriam Translationis S. Ladislai seculo XIV. substituerit. Cum itaque probe notum sit, quid inter elevationem et translationem corporis Sanctorum intersit, manifesto argumento esse debet, reliquias S Regis ex eo loco ubi primum corpus illius conditum erat, hoc est, ut hactenus ostendi, ex Ecclesia S. Ma-

riae minoris juxta portum, ad cathedralem translatas fuisse, in qua Sigismundi regis tempore et deinceps perstiterant. Conventu Mariae minoris serius cum Ecclesia instaurato, qui quantum a pristino defluxerit splendore, ex tenui solutione decimae Pontificiae satis apparet; donec ob vastatam a Solymanno et civilibus bellis distractam Hungariam, illius memoria, solo, quod adhuc reliquum est, Praepositi nomine servato, sic intercideret, ut nec locum ubi cathedralis, vel S. Mariae minoris juxta portum, Ecclesia steterit, exploratum habeamus, nec ubi reliquiae sancti corporis subtus terram conditae delitescant, sciamus."

Exstat in Calendario Missalis membranacei, quod Joannes Emirici Ecclesiae Posoniensis custos anno 1377. in suos usus describi fecit, habeturque in Bibliotheca Ven. Capituli Posoniensis nro 32. signatum. Contra aliud Calendarium Missalis, quod ad exitum seculi XII. pertinet, diserte habet ad XXVII. Junii: Elevatio S. Ladislai Regis. Vulgavit illud, RR. D. Koller Praepositus olim Quinqueecclesiensis Tom. I. Hist. Episcopatus ejusdem loci. Seculo dein XV. ac deinceps tam in domesticis, quam exterorum Calendariis hoc titulo: S. Ladislai Regis et Confessoris festivitas annunciari coepit. Quin Translationis in Statutis etiam Varadiensis Capituli festum notatur ut infra.

Argumenta Clarissimi Podhrászky pro episcopatu Varadinensi a sancto Ladislao rege fundato.

§. 19. Lustratis taliter Ganoczii argutiis, quibus S. Ladislaum Episcopatus Varadienen. conditorem statuit; reliquum est, ut viri Clarissimi

Podhráczky argumenta videamus examinemusque. In vita ipsius pagina 61. et sqq. sic commentatur: „Dum vidisset rex pius et sanctus, quod Deus esset cum ipso, construxit insigne monasterium in ripa nigri chrysii (fekete Körös), quod castrum Várad (Várad Fő) appellavit, in honorem Dominae nostrae Virginis Mariae; ubi etiam locum sepulturae sibimet elegit. Per monasterium vero hic ecclesia, locusque sepulturae, in illa situs est intelligendus; de cujus et oppidi origine multiplex est opinio: Pray, Katona, Keresztúri etc. Chronico Thuróczii Par. II. cap. 59. refragantes, illud aetate S. Ladislai vetustius contendunt, non solum, sed episcopatus quoque conditorem S. Stephanum faciunt. Antonius Gánóczi ex adverso chronici Thuroczíani fide civitatis Várad, ac florentissimi hicce episcopatus fundationem S. Ladislao attribuit. Prolixe disserendum foret, si ambarum partium opiniones persequerer: compendii gnatia measmet proin rationes, queis ductus statuo, tam oppidi, quam episcopatus conditorem S. Ladislaum fuisse, proferam.

Si Varadinum jam S. Stephani aetate extitisset, memoraturus illud fuerat Anonymus Notarius, cum oras illas accurate admodum descripserit. Nec dicere ausimus, alio illud tum nomine venisse, majores enim nostri vigentia locorum nomina mutare non solebant, cujus certissimus esse potest, quisquis antiquas arces, et urbes considerarit, ac nomina earum comparaverit. V a r a d i n i vero nomine, cujus mentionem Biographus S. Gerardi injecerat, P é c s v a r a d i n u m intelligendum esse, ipse sermonis contextus aperte docet; certum praeterea est Varadinensem regionem

S. Stephano nec subjectam quidem fuisse: parebat illa antea Achtumi dominio: „Serviebat namque eidem viro (Achtum) terra a fluvio Keres usque ad partes Transilvanas, et usque in Budin (Vidin) et Zeren (Szöreny) quae omnia sub sua concluserat potestate.“ Ita S. Gerardi Scripta et Acta edit. Alba Carolinae 1790. in 4-o p. 319—420. Ideo Chanadiensem episcopatum S. Stephanus serius, id est 1036. fundavit, uti ait in vita S. Gerardi: „Non permittatis eum abire; exspectet adhuc modicum, donec, juvante Domino, debellabo Achtum, inimicum meum, et dabo illi civitatem Morisenam, ut in ipsa episcopus ordinetur.“ p. 314. „Factum est autem, ita prosequitur Biographus, postquam beatus Stephanus rex vidisset regnum suum a praeliis quievisse, servum Dei Gerhardum revocavit de Eremo (Bakonbél) dumque ad regem venisset, — ait illi; nunc enim voluntatis meae fuit, ut duodecim episcopatus, quos in regno meo statuere decreveram, episcopis implerem; sed magis pependit in arbitrio aliorum, quorum arbiter Sathanas fuit, et nunc episcopatum, qui, ut aestimo, te respicit, assume.“ p. 324—325. His consentanee tuto credere possumus Thuroczio, Varadinum a S. Ladislao conditum fuisse.“

§. 20. Humani quid passus est in principio Vir Clarissimus multipliciter:

1) Ait Belae regis Notarius: „Missi vero Arpad Ducis, fluvium Thisciae (Tibisci) in portu Lucy transnavigaverunt, et hinc ingressi in castrum Byhor venientes“ l. c. p. 15. „Tunc Dux Menumoroth dimissa multitudine militum in castro Bihor, ipse cum uxore et filia sua, fu-

giens a facie eorum in nemoribus Igfon habitare coepit" p. 33. „Ad petitionem Menumoroth missis legatis (Arpad) mandavit, ut filiam Menumoroth filio suo Zultae in uxorem acciperent, et Duci Menumoroth darent Byhor castrum."— Et filiam Menumoroth acceperant, et ipsum in castro Byhor dimiserunt p. 33. 34. etc Castrum Byhor memorando, non meminit ne loci in Parochia (Episcopatu) Castri Bihor, quem Ladislaus Wárad nominavit?

2) Si Majores nostri montis ferrei monasterium in Pécsváradinum, urbem Morisenam in Csanadinum, si locum castri Byhor S. Ladislaus in Wárad mutarunt, non sunt ne soliti, re enata, nomina urbium et arcium immutare? Unde ergo earum nomina propria Hungarica: Munkás, Szerencses, Fejérvár, Hevesvár, Világosvár? etc.

3) Si ditionem Ducis Menumoroth ad castrum Bihor Hungari obtinuerant (nro 1.) jam sub Árpado; si e provincia hac ingressus Transilvaniam S. Stephanus contra avunculum suum Gyulam, totamque Hungariae adjunxit (Chron. Thurocii P. VI. cap. XXIX.): quomodo certum, Varadinensem regionem S. Stephano subjectam haud fuisse? Regio, quae antea Stephano haud parebat, a fluvio Kis-Keres, et Marusio per provincias Csanád, Temes, Torontal et Krasso etc. usque Severimum ac Vidinum fuit exporrecta; regio vero Biharensis, signanter castrum Bihar, inter fluvios Sebes et Fekete Körös sita fuit et est, docente Geographia.

4) Thuroczii chronicon episcopi Varadinensis, jam sub Salomone, Rege Hungariae, identidem meminit, quomodo ergo possimus ei tuto credere Varadinum a S. Ladislao conditum esse? Legendaque Podhrászkiana non dicit Varadinum a S. Ladislao conditum, sed locum Váradfő appellatum. Cf. §.

§. 21. Episcopatum Varadinensem a S. Ladislao erectum his rationibus urget: „Posthaec (juxta Chronicon Thuroczi P. II. cap. 59.) in Parochia castri Bihor, inter flumen Keres in venatione sua invenit locum, ubi, angelico admonitu, proposuit construere monasterium in honorem Virginis Mariae, quem locum Wárad nominavit. Quod et diplomatibus, signanter statutis ejusdem capituli, anno 1370. conscriptis stabilire possumus. „Ante omnia est notatu dignum, quod ecclesiae nostrae Varadiensis fundator est beatissimus Ladislaus, olim Hungariae rex, cujus translationis festum colitur quinto Calendas Julii, et ejus depositio expletur anno Domini Millesimo nonagesimo quinto, quarto Calendas Augusti. Fundavit autem ipsam Ecclesiam et dedicavit in honorem beatisimae Matris Mariae Virginis, instituens in ea Praepositum et Canonicos numero viginti quatuor, computato Praeposito, et tandem erexit ipsam in episcopalem, et multis possessionibus, juribus et praerogativis dotavit.“ Legg. Eccl. tomo III. p. 219. et 344. Item p. 221. „Post Geysam regnavit beatus rex Ladislaus — fundator et dotator Ecclesiae nostrae.“ Tum p. 225. „Successit in Episcopatu Benedictus II. anno 1291. obiit autem anno Domini 1301. Hujus tempore alienatus est ab Ecclesia Varadien-

si Comitatus Bihariensis, quem a tempore S. Ladislai omnes episcopi usque nunc pacifice tenuerunt.“ Quis ausit jam inficiari, S. Ladislaum episcopatus Varad conditorem? Vel ambigere, capitulum suum ignorasse conditorem? Cosonant haec cum Hartvici testimonio, qui in vita S. Stephani ait (p. 56.): „Post haec provincias in decem partitus episcopatus, Strigoniensem in Ecclesiam Metropolim et magistram, per consensum, et subscriptionem Romanae sedis Apostolici, ceterarum ecclesiarum fore constituit;“ et cum libri, Biga salutis nominati, auctore, qui sermone LXXVI. ait: „Post haec regnum Hungariae in decem partes dividens (?) et in illis episcopatus decem instituens, Strigoniensem Ecclesiam Metropolim omnium praefecit, quibus demum episcopatibus alios duos rex Ladislaus sanctus, una cum fratre suo Geysa, superaddidit.“ A S. Stephano conditi episcopatus sunt hi: Strigoniensis, Jaurinensis, Veszprimiensis, Quinqueecclesiensis, Agriensis, Transilvanus, Coloczensis, Bacsiensis, Chanadiensis; decimus, si non esset Nitriensis, sit Vaciensis; utut hunc Geysa I. condiderit. Meminisse enim oportet, S. Stephani aetate limites Hungariae latius patuisse, quamobrem decimum etiam alibi possumus quaerere. Interim Varadinensis in casum omnem undecimus foret a S. Stephano fundatus.“

§. 22. Ast rationes hae, quamvis numerosae, haud evincunt episcopatum Varadinensem a S. Ladislao fundatum: multiplices enim patiuntur difficultates:

1) Argumentum ex Thuroczii Chronico sumptum diversis jam obtritum est responsis: non dicit episcopatum a S. Ladislao constructum, sed monasterium; Legenda etiam controvertensis clarissimi, quoddam illustre, sacrum monasterium, dicit; monasterium vero cum ipsi Thuroczio, tum etiam aliis, distinctum quid est ab episcopatu. Nec is secum sine necessitate committendus est: contradiceret quippe sibimet, si postquam regnante Salomone identidem Episcopi meminit Varadiensis, hic episcopatum docuisset primum a S. rege Ladislao fundatum. Fuit proin hoc monasterium praepositurale, qualia erant Albae, Vetero Budae, Strigonii, Agriae, tum alibi.

2) Capitale viri clarissimi e statutis Varadinensibus circa annum 1375., ut in Codice Diplomatico notavi, scriptis sumtum argumentum quod attinet: illorum fides codicis Corsendoncani, Legendae item ab Auctore editi, atque Thurocziani Chronici auctoritati, qui uno ore monasterium ad ripam, vel portum Chrysii constructum a S. Ladislao monasterium, non episcopatum, perhihent, praejudicare nequit: sunt enim hi illis et vetustiores, et in factis notandis diligentiores.

3) Ausimus sane ambigere, num Statutorum illorum Auctor in consignando Episcopatus Varadiensis conditore non erraverit. Quaerimusque: an illi tute credendum necne? Si tute credendum, quod vir Cl. supponit, tum ex ipsius testimonio episcopatus Varadinensis jam ante Ladislaum extiterat; ait enim p. 222. „Privilegia Ecclesiae Varadinensis a — Geysa et Ladislao sunt confirmata (non concessa); atqui episcopatus ac

Capitula, quorum privilegia confirmantur, antea jam extiterant, episcopatum quoque Varadinensem proin ante Geysam et Ladislaum oportuit extitisse. Sed num tuto ei credendum sit, quod Controvertens vult, exploremus.

§. 22. Recenseamus 1) Nomina et tempora regiminum Regum Hungariae rubrica secunda."

a) „Relatio Hungarorum, in scriptis ab olim redacta, inter cetera habet: quod anno ab incarnatione Domini octuagesimo octavo, de gente Scythica, oceano in septemtrione conjuncta, magna multitudo fines Pannoniae intravit et patenter (potenter) occupavit totam Pannoniam jure haereditario possidendam, in qua gente quam plures fuerant Duces, sed unus ex ipsis fuit principaliter ab aliis propter suam virtutem electus, qui vocabatur Almus, huic in Ducatu successit ejus filius nomine Arpad."

Anonymus Notarius verius habet (p. 6.): „Anno Dominicae incarnationis Octingentesimo octuagesimo quarto, sicut in annalibus continetur chronicis, septem principales personae, qui Hetumoger vocantur, egressi sunt de terra Scythica versus occidentem. Inter quos Almus — una cum uxore sua et filio suo Arpad:"

b) Ibi: Arpado successit in Ducatu filius suus, qui Toxin nominatur." p. 228.

Notarius ex adverso: Et successit Arpado filius suus Zulta. p. 35.

c) Taxun habuit duos filios, quorum primus fuit Dux Geysa, Pater beati Stephani regis, secundus vero fuit Michaël. Dux Michaël habuit duos filios; Ducem videlicet Wazul, et Ducem Ladislaum caluum; iste dux Wazul habuit tres filios: quorum primus fuit Dux Andreas, postea rex, secundus Bela, demum rex, ut infra dicetur, tertius fuit Dux Leuenta. Dux autem Ladislaus Calvus, de quo supra, habuit filium Bonuzlo." p. 223.

Chronicon Thuroczii contra: „Filii Ladislai calui (patrui S. Stephani) Andreas, Bela et Leventa." p. 98. Consonat Legenda per Auctorem edita p. 3.

d) Ibi: „S. Stephanus primus rex Hungariae, priusquam in regem coronaretur, tenuit annis octo, — regnavit autem post haec annis triginta tribus, mensibus septem, diebus quatuordecim." p. 220. col. 2-a.

Chronicon Thuroczii ex adverso: „Beatus autem Rex Stephanus secundum quosdam quadragesimo sexto, secundum autem Historiae veritatem, trigesimo septimo sui regni dominicae incarnationis millesimo, trigesimo octavo anno — e praesenti seculo eripitur." l. c. p. 98. Consentit biographia Auctoris p. 4.

e) Ibi: „Mortuo autem Stephano rege, regnum vacavit vero regimine annis undecim, mensibus quatuor et medio; infra quod tempus praefuit regno P. Theutonicus, frater Kesla reginae, consortis S. Stephani, ab Sorore S. Stephani genitus, quasi annis duodecim et ul-

tra, Aba vero, Sororius sancti regis praefuit annis tribus et ultra", p. 220. Col. 24.

Chronicon vero Thuroczii: „Anno igitur regni Petri-Alemanni vel potius Veneti, tertio, Principes Hungarorum et milites elegerunt Abam sororium S. regis Stephani, et eum super se regem constituerunt. — Aba tertio regiminis anno devictus fugit versus Tibiscum et in villa quadam Scoobt veteri, ab Hungaris, quibus nocuerat, crudeliter jugulatur. — Petrus vero excoecatus, prae nimio dolore, vitam brevi finivit anno regni sui secunda vice tertio." p. 102. et 107.

f) Ibi: „Posthaec adeptus est coronam Andreas Dux, filius Wazul, de quo supra, et regnavit annis quindecim." p. 220. Col. 2.

Chronicon Thuroczii ortum regis ex Wazul rejicit p. 103. electionem figit ad annum 1046 coronationem ad annum sequentem, mortem ad annum 1061. Cf. Katona. Hist. Criticae tomo III. p. 151.

g) „Post haec (obitum regis Salomonis) regnavit Bela, dictus Belin (Benin) filius Wazul, de quo supra, obiit autem anno 1073. tertio idus Septembris" p. 22-a. col. 2.

Ex adverso chronicon Thuroczii: „Dux igitur Bela, filius Ladislai Calui, dictus Benin, victor (Andreae) cum triumpho venit Albam, ibique regali diademate feliciter coronatus. — Completo anno regiminis tertio, migravit ex seculo. „Rex itaque

Salomon sine difficultate intravit Hungariam, rege orbatam, honorificentissime susceptus“, etc. p. 114.

h) Ibi: „Regnavit annis tribus Geysa, primo genitus Belae. — Post obitum Geysae anno 1077 octavo kalendas May, regnavit beatus Ladislaus, filius secundo genitus Belae, dicti Belyn, fundator et dotator Ecclesiae nostrae (ergo non episcopatus) annis novemdecim mensibus tribus. Migravit ad Dominum MXCV. quarto Calendas Augusti.“

Chronicon ex adverso Thuroczii; „Audita vero morte Regis Magni (Geysae), fratrem ejus Ladislaum — concorditer elegerunt, immo magis fere actuosis praecibus compulerunt: — Is in Parochia castri Bihor, inter flumen Kewres, in venatione sua invenit locum, ubi — proposuit construere monasterium in honorem Virginis Mariae, quem locum Warad nominavit. — Transiit ad consortia Angelorum anno regni sui XIX-o et sepultus Waradini in monasterio suo, anno Domini MXCV. quarto Calendas Augusti“ p. 129. 133. 134. — A pluribus desino, ne fastidio sim.

§. 24. Quae de nominibus ac temporibus regiminum episcoporum Ecclesiae Varadinensis habet rubrica tertia, errant, aut hiant non minus; ait quippe:

a) Sicut ex variis similibus (verisimilibus?) conjecturis et praecipue ex Cronica apparet Hungarorum, primus episcopus Varadiensis Ecclesiae fuit Colomanus, primogenitus Geysae regis se-

cundi, tempore scilicet Sancti regis Ladislai (nam eo migrante ad Dominum successit eidem Colomanus in regno per dispensationem Apostolicae sedis) qui cum horas Canonicas ex debito pontificalis dignitatis exsolveret, Kewnwes Kalman vocabatur.“ p. 224.

Ast Chronicon Hungarorum, primum fuisse Varadiensium Praesulem haud tradit; repugnat quin imo vulgari traditioni: huc pertinent ipsius verba: „Promisit rex (Ladislaus) Conradum Ducem, cui Sentapolug (Swatoplug, Ottonis Moraviae Ducis frater) Pragam urbem eripuerat, in propria persona adjuturum. Habebat secum fratres suos, filios Geysae regis, Colomanum et Almum, prognosticatusque erat ex Colomano, quia fusor sanguinis fieret, voluit eum Agriensem episcopum facere. Qui eadem nocte secessit in Poloniam, — Rex autem coepit ire contra Boëmos, propter injuriam nepotis sui. Cum autem pervenisset in confinium Boëmorum gravis infirmitas eum invasit, convocatisque Principibus suis, misit ad Colomannum, ut ad Huugariam reverteretur. Sanctitate igitur ac gratia plenus rex transit ad consortia Angelorum (Nitriae) anno regni sui XIX-o et sepultus Varadini in monasterio suo, anno Domini MXCV. quarto Calendas Augusti.“ Haec ergo contigerant Conrado Bohemis dominante; atqui Conradum post decessum Wratislai, anno non nisi 1093. — 4-o principatum obtinuisse, diplomatice constat; postea extulerit proin caput suum Svatoplug contra Conradum, seu ultimo, ut adjuncta docent, regiminis Ladislai anno. Si tempore hoc, designatus Agriensis episcopus Colomanus, eadem nocte in Poloniam secessit, si a rege, morti proximo,

inde revocatus, quando episcopus tempore S. Ladislai? Quomodo etiam eidem successerat per dispensationem pontificiam? Cui utique, vivo fratre Almo, nec locus quidem fuerat. Cum Colomano haud dispensatum fuisse, non ab horis canonicis persolutis dictum libriferum, Urbani II-i quas habemus, quas Pray, Katona et Gánoczy non noverant, literae affatim docent: In illis Colomano regi Hungariae de obtento regno, ac scientiarum, praesertim ecclesiasticarum, laude gratulatur; ut Schismati Guiberti Antipapae, cui regnum diu adhaesit, finem ponat, monet, legatumque illa causa mittendum offert. Ast de dispensatione nec verbum. Cod. Dipl. tom. II. p. 15. ad annum 1096. Colomanum filium Geysae secundi fuisse implicat. Si conjecturis locus; vetustissimi Varadinensium episcopi fuerant Hyeronymus vel Alexius circa an. 1067, et Cupan anno 1094. Hi indubitati episcopi, et quantum reliquorum sedes notae, Varadinenses fuerant. Cf. Codicem ad annos signatos.

En Diploma; Conradus Bohemiae Dux confert monasterio Insulano Krawsko in provincia Znoimensi constructo.

„Post decessum Wratislai, bone memorie, Bohemorum regis, Conradus principatum fraternum obtinuit, qui Deo et sancto Johanni Baptiste in Ostrovo pro adipiscenda eterna requie hec beneficia addidit; Kravusco in provicia Znoimensi, ubi habetur de terra plus quam ad quadraginta aratra; insuper et sylvam addidit. In Bohemia praedium Zahoregovici et villam Chraberg. A. D. MXCIV."

Excusum apud Piter in thesauro p. 153.

Suatoplug Dux Moraviae confert monasterio Gradicensi S. Stephani villam.

In nomine sancte et individue trinitatis. Ego Zwatopluk Dux Moraviensis tradidi fratribus Sancti Stephani villam Tusatici cum omnibus suis attinentiis in perpetuum possidendam, quatinus orationibus suis iteratis remedio anime dilecte sororis nostre Boleslawe provideant. Et haec traditio facta est de voluntate et assensu karissime matris nostrae Euffemiae illustris Ducisse, nec non fratris mei Ottonis, anathematizante venerabili episcopo Andrea cc. 1095.

E codice sec. XIII. monasterii Gradicensis descripsit Friebek. Conradus adhuc anno 1092: fuit Dux Moraviensis, Wratislaus rex Bohemiae vixit. V. Codicem Moraviae. A. 1836. p. 188. sqq.

b) Huic (Colomanno) successit Mercurius, et rexit Ecclesiam Varadiensem tempore Geysae, tertii Belae regis filii, ut ex privilegio ejusdem Geysae regis, quod fuit repertum in nostris archivis apparet, circa annos Domini MCLVI. Sed utrum immediate vel alter, (aliter) ignoratur. Cum inter eos, Colomanum et Mercurium efluxerint anni circiter XLII." p. 224.

Ast Geysa II. Belae non tertii, sed secundi fuerat filius; ac Sixtum sedi Varadinensi annis 1106. 1111. 1116. praedisse, diplomatice constat; cui successerat Walterus, alias Frachak; annis 1124 et 1138. diplomatibus subscriptus. Qui anno 1156. praefuerat, electus Michael fuit, non Mercurius.

c) „Circa initium Belae regis tertii, secundi Geysae regis filii, praefuit Ecclesiae Varadinensi Nicolaus Episcopus, ut liquet ex actis et regestris nostris, sed utrum inter hunc et Mercurium (Michaëlem) aliquis dictae Ecclesiae praefuerit, non constat. Post Nicolaum rexit Ecclesiam Varadiensem Joannes Episcopus, tempore ejusdem Be-

lae tertii, regis anno s. l. Domini 1180. Regnante autem praefato Bela rege tertio anno Domini 1186. Watha in episcopum eligitur, et amplius quam tribus annis in episcopatu vixisse, non reperitur." p. 224.

Ast initium Belae III. regis cadit in annum 1175. Nicolaus vero floruit circa annum 1163. Belae III. temporibus praesedit Michaël II. annis 1169. et ultra. Joannes et Watha Diplomatibus hucdum noti haud sunt. Cf. Codicem Diplom. tom. II. etc.

d) Tempore autem ejusdem Belae III. regis anno Domini 1198. successit ei (Watha) Elliminus Episcopus, et vixit in episcopatu usque ad tempus Henrici regis dicti tertii Belae regis filii annos scilicet 1200. Huic successit Simon, episcopus electus et confirmatus tempore ejusdem regis Henrici; et legitur vixisse usque ad tempus Andreae regis primi (secundi) obiit autem anno 1212." p. 224.

Cum anni, quibus reges hi praefuerant, erronee admodum sint consignati; anni regiminum episcopalium rite congruere nequeunt. Elvinus sub Emerico, et Simon annis 1208—1217. sub Andrea occurrunt Varadinenses Episcopi. In Cod.

e) „Anno autem Domini 1210. tempore ejusdem Andreae Regis Alexander in episcopum eligitur, et in episcopatu usque annos Domini 1228. et amplius vixisse, invenitur; regnante vero adhuc eodem Andrea rege, Benedictus episcopus primus Ecclesiae Varadiensi praeficitur. Posthunc rexit Ecclesiam Varadiensem Vincen-

tius Episcopus, qui fuit electus anno Domini 1251. tempore Belae IV-ti regis, obiit autem in anno Domini, 1258-o. Nam sequenti anno Domini, scilicet 1259. Sosinas in episcopum eligitur, — sequenti anno translatus est in ecclesiam Strigoniensem, quae est Metropolis.“ p. 225.

Corrigenda hic complura sunt: Alexander praefuit Ecclesiae Varadinensi annis 1217—1230. Benedictus I. a. 1233—1242. Vincentius electus 1243—1254. et ultra. Demetrius, quem non novit Statutorum compilator, occurrit anno 1260. Zozimus vero 1265. Lodomerius 1268—1279. Hic est ad Metropolim Strigoniensem translatus anno 1279. V. Codicem.

f) Translato Lodomerio, Thomas in episcopum Varadiensem anno 1281. electus et confirmatus, paucis in episcopatu vixit annis. — Anno 1284. Bartholomaeus, Episcopus Varadinensis Thomae successit. — Huic successit in Episcopatu Benedictus II. anno 1291. obiit anno Domini 1300.“

Thomas Varadiensis Episcopus, Prayo controversus, e diplomatibus ignoratur. Bartholomaeus in eis legitur, anno 1285, Benedictus II. anno jam 1290. decessit anno 1296. Successorem nactus est Emericum, qui produxit vitam usque annum 1317-um.

g) Mortuo Emerico successit Iwanka, migravit ad Dominum a. D. 1329. Eodem enim anno Andreas Bricti de Bátor in episcopum electus et consecratus, legitur, vixisse in episcopatu usque annum D. 1345. Huic successit Deme-

trius (II.) episcopus. — Hic anno Domini 1372. die septima decembris obiit. — Sequenti anno XXII. die Februarii Dominicus, Episcopus Chanadiensis, translatus est in Ecclesiam Varad, postulatus a nobis, obiit autem anno Domini 1374-o."

Iwanka successit revera a. 1317. — praefuit usque annum 1329. Andreas de Bátor electus anno 1329. — rexit usque 1345. Demetrius successit anno 1346—1372. Dominicus Episcopus 1373—1374. Cf. Codicem.

§. 26. Quantum in rebus facti referendis erret Statutorum Varadinensium auctor, accedat documentum, quod vir Clarissimus suum fecit: „Hujus Benedicti II. Episcopi tempore († 1300.) alienatus est ab Ecclesia Varadinensi Comitatus Bihoriensis; quem a tempore S. Ladislai omnes Episcopi usque hunc pacifice tenuerunt." p. 125 apud Podh. p. 31. Cum tamen provinciae Bihoriensis Comites a S. Ladislai tempore continuo fuerint seculares: Saul Comes de Bihor 1103. Bucan, una Comes Curialis 1135. Achus 1138. Esau 1186. Both 1193. Petrus 1197. Micha 1198. Benedictus, una Palatinus 1202. Moch 1207. Smaragdus 1208. Marcellus 1208. Michaël 1209. Bank 1210. 11. Miko 1212. 1221. Helias 1222. Pous 1223. Laurentius 1238. etc. Vide Codicem. His omnibus ex aequo pensatis, vir Clarissimus Statutorum compillatori fidem tuto non habendam, spero, concedet.

Auctor libri „Biga Salutis nominati, viro Clmo adeo non opitulatur, ut obsit quoque: unus enim, quem S. Rex Ladislaus adjecit conditis a S. Stephano episcopatibus, est Zagrabiensis; e sententia ejusdem dicere debuisset: S. Ladislaus adjecit duos; ast non

dixit, quia Varadinensem jam Proto-rex condidit. Cum Nitriensis ante Colomani tempora instauratus haud fuerit; Varadinensem Episcopatum a denario numero resecando, auctoritatem Hartwici, quem edidit, quomodocunque rem torqueat, errore immunem neutiquam praestabit.

§. 26. Restat, ut illa etiam, quae contra vim argumentorum hucdum productorum excipit, haud praetereamus: „Maxima, inquit, oboritur difficultas, e Chronici Thurocziani P. II. cap. 49. et 50. cum anno 1070. quo S. Ladislaus contra Chunos depugnavit, filiam episcopi Varadiensis memoret; anno vero 1073. dicit Episcopum Varadiensem cum Comite Watha ad Salamonem regem ablegatum. — Ast non dico, quod Muglen et carmen Historicum utrumque factum ignorent, et traditiones praefatam virginem a S. Ladislao liberatam, Hungaram ferant, et non Varadiensis episcopi filiam; haec difficultas suapte evanescit, posito eo, quod Ladislaus, qui qua Dux jam regioni huic dominabatur, regno nondum inito proposuerit condere Varadinum et episcopatum, quin et ecclesiam construxerit collegiatam, quam mox regno aquisito erexerit in episcopalem: negari quippe nequit, Duces regios tertiam regni partem supremo obtinuisse dominio: testimonia hujus in Codice Fejériano leguntur. 2) Praepositura vero minor, ut in ejusdem capituli habetur Varadinensis documento, seculo primum XIV-o orta fuit: „Chanadinus olim Praepositus ecclesiae nostrae tandem Archiepiscopus Strigoniensis (1330 — 1351.) de consensu Episcopi atque nostro, Ecclesiam Beatae Virginis minorem de juxta porticum (portum) ecclesiam nostram, erexit in collegiatam, instituens in ea Praepositum et sex Canonicos, ut ei-

dem et Ecclesiae nostrae serviant, prout infra de Praeposito minoris Ecclesiae Beatae Virginis dicetur" l. c. p. 245. Ideo Pray Hist. reg. Hung. Budae 1801. P. I. p. 92. erravit haec scribens: „Ad discrimen Ecclesiae Cathedralis dicebatur Mariae Minoris vel juxta portum nempe fluvii Chrysii — eratque Ecclesia collegiata, et in castro condita, ut patet ex collectione decimae Pontificiae sub Carolo Roberto. — Atque hic ille conventus Varadiensis est, cujus mentionem facit Ritus explor. Veritatis p. 264 — 268. Inde error illorum ortus, qui episcopatum Varadiensem Ladislao conditori tubuunt." p. 63 — 64.

§. 27. Ast exceptionibus his obstant: 1) Quod Muglen, ac Historicum carmen filiam episcopi Varadinensis non commemorent, mirum non est, exscripserant enim chronicon Simonis de Keza, qui facti hujus, summa sectatus compendia, immemor est: fonte suo tacente filiam Varadinensis episcopi a S. Ladislao liberatam ignorabant. 2) Ladislaum, regnante adhuc Salomone, provinciae illius summo usum fuisse dominio, episcopatumque a se erigendum, proposuisse, est dictu insolentissimum: summum enim dominium, et jus episcopatus erigendi erat jus Apostolicum, regibus nostris unice proprium; sed nec Ladislaus regnante Salomone regnum se obtenturum, scire potuit. Colomannus quidem, Galliciae rex, ac totius Sclavoniae Dux episcopatum erexit Bosniensem, ast urgente Pontifice Romano, ac cum regis Belae consensu; utriusque hujus consensus S. Ladislaus certus neutiquam erat, episcopatusque non in venatione proponitur condendus, sed consultu Praelatorum et Baronum, 3) Ecclesiam B.

V. Mariae minoris non dicitur Chanadinus condidisse, sed in collegiatam erexisse, ac praepositum, cum Canonicis, instituisse; monasterium Praepositurale in Ecclesiam collegiatam erigi potest; et revera tale monasterium videtur chronicon Thuroczii innuisse. Sed cum Praepositus Ecclesiae B. V. Mariae minoris anno jam 1321. prodeat (Cod. Dipl. tom. VIII. Vol. II. p. 316.), auctor Statutorum capituli Várad, qui eam a Chanadino (A. 1331 — 1351,) erectam asserit, falsi iterum revincitur, ac Pray erroris perperam insimulatur. Non oportet esse facile credulum.

Traditio Praemonstratensium S. Stephani P. M. de Promontorio Varadiensi, fert apud Keresztúrium Ecclesiam B. M. Virginis minoris in ripa Chrysii celeris monasterio suo opposita fuisse; in statutis vero Varadinensibus ita figitur: „Debetur succentori dimidia pars domus lapideae, quae est in castro retro minorem Ecclesiam Beatae Virginis a Porta septemtrionali consistens, nam alia pars ejusdem, quae est a meridie juxta Curiam episcopalem, debetur succentori. Ad usum succentoris et subcustodis ab initio domus illa est constructa.“ Leg. Ecc. tom. III. p. 372.

Sententiam suam adjuturus Vir Cl. innuit etiam, Danielem Cornides dictorum poenituisse, revocaturumque illa fuisse, si praeceps mors non obstitisset; ast noverit, ipsum non sententiae de Sancto Stephano Episcopatus Varadinensis Conditore poenituisse, sed dictorum, quae epistolae p. 109. sic promsit: „Colomannum, S. Ladislai filium fuisse, ex regum nostrorum succedendi ratione, capite VI. integro probavi, adseruique, cum Cl. viro Prayo, in Hungaria, ab antiquissimis inde temporibus, modum habendi regnum fuisse mere haereditarium, dejureque semper successisse Patribus apud Hungaros in regno filios. Atque ita etiam ipsos semper sensisse

reges Hungariae, perpetuis regum nostrorum verbis, e Diplomatibus, inde a Seculo XI. ad XVI. usque continua serie recensitis, demonstravi. Displicet tibi, quia sententiae tuae e diametro opposita est haec mea diligentia." Quod in hanc abierit sententiam, cum sub Josepho II. Imp. scripserit, venia; quod poenituerit, laude quoque dignus. — Complura, quae in vita S. Ladislao optassem a Viro Clarissimo non scripta, ad praesentem quaestionem neutiquam spectant.

§. 28. His debite libratis, spes me alit non vana Clarissimum Virum Podhrászkium, qui sententias de S. Emerico Duce in venatione per ursum discerpto, ac Duce Leventa, a Bela fratre haud distinguendo, erroneas monitus revocavit, mentem de episcopatu Varadiensi a S. rege Ladislao condito, mutaturum, quin oblata mox occasione retracturum quoque; ne multiplicetur error, veritas obscuretur; quod ab ingenuo ejus animo, atque veri unice intento studio, alienum omnino est.

Accedit ad p. 73.

David in Betref des Ursprungs des Volks der Türken (Preliminary discurse) ist leider ein Nachbeter Klaproth's, welcher den Namen der Türken, dieses Uralten, schon zu Herodot's Zeiten in Horden (Jürük die Ἰυρκαι) in Kipdschak herum ziehenden Urvolks aus dem Chinesischen, und den Namen Türk entweder von einem chinesischen Berge, oder von dem persischen Terek (Helm) ableiten wollte; unbezweifelt sind Tu-kiue, die Hiung-nu, und die Hoei-he der Chinesen Türken; aber dieses sind nicht ihre ursprünglichen, sondern von den chinesen so verstümmelten Namen, in dem dieselben aus Türk Tukiue, aus Kun (dem eigenthümlichen Namen der Kumanen) Hiung-nu, und aus Kaji (Dschihannuma S. 371. l. 3.) Hoei-he gemacht. Darüber, dass die Sprache der Uiguren türkisch ist wohl kein zweifel; aber dadurch

ist nicht erwiesen, dass dieses Volk selbst ursprünglich türkischen Stammes gewesen und die in der Geschichte Dschichanguschai erhaltene Sage ihres Mythos beglaubigt tibetanischen Ursprung, so wie der ihrer Schrift vielleich wirklich mehr mit dem Send-Alphabete, und dem syrischen zusammen hängt.

Die Kumanen, die sich selbst Kun nennen, sind Eins mit dem Ghusen, Usen, und Polowzern, aber die Petscheneger nicht eins mit Kangli, wie Remusat glaubte. — Aus der grossen Bucharey brachen die Turkmanen, d. i. Ghusen, Kunen und Polowzer hervor; und die Osmanen (aus dem Stamme der Kaji). — Die Sprache Turkistans hat sich durch den ursprünglichen Aufenhalt der Kunen an der chinesischen Gränze sich auf eine von den Ujgurischen und Kipdschakischen Mundart verschiedene Weise ausgebildet. — Herr David weiset auch die Spuren des Chinesischen im Türkischen hin, auf welche schon, Hager aufmerksam machte, und worüber recensent (in der Geschichte der Osman. Dichtk. p. 9.) schon gesprochen." Jos. Hammer Wiener Jahrbücher der Literatur. LXXVI-ter Band. S. 188 — 90.

Pag. 112. l. 26. Supple: non Moesiam superiorem, etc.
— 91. l. 14. l. Salisburgensem.
— 135. l. 20. l. partitus.
— 144. l. 7. dele: non
— 145. l. 8. l. orbe
— 150. l. 12. l. meminit.